



DISPUTATIO JURIDICA,
qua
**SELECTAS
CONCLUSIONES
FORENSES**

PRÆSIDE
Dn. JO. BALTHAS. WERNHERO,
D. Prof. Publ. & p.t. Academiae
Pro-Rector,

Ad D. Septembr. M D C C V I L.
H. L. Q. C.

Publice ventilandas proponet

JOANNES MEYER,
Ratisbonensis.



VITEMBERGAE SAXONVM,
Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typogr.

37.

7c

1095.



CONCLVSIO I.

Bonae fidei Possessor nec hodie de fructibus
consumptis tenetur, quamuis inde locu-
pletior factus sit.



Vre Romano, licet non pau-
cos dissentire sciām, satis puto ex-
peditum esse, b. f. possessorem
eorum fructuum nomine, quos
consumpsit, haudquaquam tene-
ri, utut ex iis locupletatus sit.
Omnes enim leges, quae tales
fructus eidem tribuant, generaliter ac indistincte lo-
quuntur, nec in illis uestigium restrictionis occurrit;
quo facit in primis l. 22. C. d. R. P. & l. 4. §. 2. ff. Fin. reg. ubi
possessor fructus b. f. perceptos conūmprosque lucra-
ri dicitur, idemque cum usucapione effectus con-
sumptioni tribuitur in l. 4. §. 19. ff. d. Usur. Atqui usuca-
pta domino restituenda non sunt. Nec uero haec
dispositio ratione destituitur; cum possessor fructus
suos, non alienos, quippe qui nunquam domini fun-

A 2 di fue-

di fuerunt, consumperit; nec vindicandi Jus, quod dominus habet, ad res non amplius existentes pertinet. §. 36. J. d. R. D. t. t. ff. d. R. V. l. 70. §. ult. LL. scqg. d. leg. 2. aliaque actio, qual lucrum ex fructibus rei singularis perceptum exigatur, deficiat. Strub. Ex. XI. tb. 23. Alia omnino ratio est petitionis hereditatis, ceu iudicij Uniuersalis, quod praestationes personales continet, & ex fructibus augmentum recipit. l. 1. C. d. bered. petit. adeoque hi non secus, ac ipsa corpora hereditaria, tanquam in eorum locum surrogati petuntur, ac in restitutionem hereditatis ueniunt, l. 2. §. 3. de bered. pet. Hillig. in Donell. l. 19. c. 13. lit. C. & D. Frustra est, quod obiicitur, fructus consumptos non uideri, quorum pretium adhuc extat. Hoc enim in personalibus quidem actionibus locum habere potest. vid. l. 24. §. 4. d. Minor. l. 22. in fin. ff. d. Neg. ges. l. 8. pro emt. l. 28. donat. int. vir. & ux. Non autem in materia Rei vindicationis, ubi omnes fructus consumpti esse intelliguntur, quorum corpora non amplius extant. Cumque possessor opinione domini, adeoque b.f. fructus consumperit, nec in debitum aliquod hic subest, ut non obster l. 15. pr. l. 26. §. 12. d. Cond. indeb. nec cum alterius iniuria locupletari intelligitur, sed is sibi suaeque negligentiae imputare debet, quod non maturius rem suam repetiit. l. 136. l. 203. ff. d. R. I. Sed utrum haec Juris Romani dispositio contrario usu hodie sublata sit, nunc inuestigare iuuat. Est uero haec communis persuasio, mores hodiernos ab illa recessisse, eosdemque naturalem aequitatem fecitos consumptorum quoque fructuum restitutionem b.f. possessori iniungere, in quantum sc. ex illis locupletatus sit. Quod ita contrario usu introductum esse, praeter ceteros testantur

1098.

tur *Habn. ad Wefenb. t. d. R. V. N. VII. Struv. S. I. C. Ex. II. 1b.*
23. idemque non modo in Saxonia, sed etiam in imperio alibi & in ipsa Camera obtainere, monet *Dn. a*
Lynck. Anal. ad Struv. c. l. ac testem citat Deckherr. Relat.
Camer. 2. n. 50. Hopp. ad §. 35. Id. R. D. Uf. bod. eumque in
modum *Scabinos Lipsienses respondere, testis est Philipp.*
Echog. ad Inst. c. §. ac praejudicium de Anno 1622.
adiungit. Idem de foro Saxonico restatur *Dn. Thom.*
mai. ad Huber. Prael. ad Inst. 1. d. R. V. pos. 33. & praejudiciis aliquot confirmat Carpz. 3. 32. d. 28. in fin. Hartm. Pi-
stor. l. 4. q. 25. seq. qui duo postremi Iuris Ciuilis quo-
que dispositioni illam opinionem congruere contendunt.
Enimvero sicuti *Dd. de Praxi LL. contraria*
simpliciter & sine praejudiciis testantibus non facile
credulitatem meam addicere soleo, ita, quae ad-
ducta sunt Collegiorum Responsa, ex solo Lipsiensi-
um Scabinatu petita sunt; & contra, Juris Romani
sententiam foreni usu receptam esse, monet *Arius*
Pinedus ad l. 1. C. d. Rescind. uend. P. 2. c. 4. n. 6. in eam-
que in Frisia iudicatum refert *Io. a Sande l. 3. Rer. iud.*
c. 15. def. 1. Add. Vinn. Sel. Qu. L. I. c. 26. in fin. nec un-
quam b. f. possessorum, in quantum locupletior fa-
ctus est, condemnatum, se meminisse dicunt *Petr.*
Barbosu ad l. 8. pr. p. 2. n. 48 ff. solut. matrim. Peregrin. d.
Fidicommis. art. 44. n. 114. Francisc. Gallus Tr. d. fruct. Diff.
12. art. 36. Accedit noua, eaque non mediocris
difficultas ratione modi, quo illud, in quantum lo-
cupletior quis factus est, computari ac aestimari de-
beat; cum quidem aliis usuras pretii, quo praedium
comparatum est, nec non impensas fructuum dedu-
cant, ac id, quod supereft, restituendum esse uelint;
qua ratione, si praedium 200. thaleris emtum est,

A 3

& 30.

& 30. hoc anno fructuum nomine percepti, sed 8. in
illos impensi, deductis 10. ceu legitimis usuris & 8.
tanquam impensis fructuum, quoad reliquos 12. pos-
sessor hoc anno locupletatus esse intelligitur; alii con-
tra in tantum eum locupletiorem uelint, in quan-
tum fructus ex alieno praedio perceptos in suam u-
tilitatem convertit, eosdem sumprus de suo facturus,
si uel maxime rem alienam non possedisset, ut hinc
consumtiones illae deducendae ueniant, quas alias o-
missurus, nec de suo facturus erat; cum utique maior
hominum pars, ubi aliqua bonorum accessio fa-
cta est, aliquanto lautius uiuere soleat; quod quate-
nus factum sit, nisi totius patrimonii ratio inearit,
nemo facile inuestigauerit. Quid igitur, quaeſo, in
hac tanta incertitudine, ubi Doctorum de contraria
Praxi testimonium tam uarium ac multiplex est, con-
ſultius fuerit, quam Iuri Romano intrepide infistere,
cuius non alia abrogatio est, quam per legem, aut
consuetudinem contrariam, quae liquido doceri pos-
ſit? His certe momentis impulsus Ordo Vitemb. non
ſolum ſemel iterumque in ſententiam Iuris Rom. re-
ſpondit, ſed etiam in posterum eam constanti iudicio
ſequi ac pronunciando obſeruare decreuit. Ita Mens.
Nou. 1698. ad consultationem Regininis Sonnenbur-
gensis. Verb. Sent. Obgleich einiger Rechtſgelehrten
Meinung nach auch die b. f. Possessores dasjenige / in
quantum ex fructibus perceptis & consumptis locuple-
tiores facti ſunt, zu erſtatten gehalten. Dieweil aber
dennoch die angezogene Doctrin in denen Rechten nicht
gegründet; immassen die de Iudicio Uniuersali handeln-
de Textus Iuris auf die iudicia singularia nicht füglich
zu ziehen/ und die Praxis contraria a Iure Communi
auff

1097

auff welche sich einige beruffen / keines weges / wie recht /
dargethan und bewiesen. &c. Fundem in modum M.
Apr. 1707. in causa George Thorings contra Jonas
Liermann sententiam dixit. Verb. Sent. Dass Kläger
dasjenige / so ihm zu erweisen auferlegt / und er sich ange-
maßet / zur Notdurft erwiesen; Derowegen Beklagter
die libellirte Hufi nebenst denen darvon eingehobenen bey
ihm in natura annoch verhandenen und nicht verjährten
Duzungen / Klägern abutreten / sowohl von Zeit der Kriegs
Befestigung de fructibus perceptis & percipiendis
Rechnung abzulegen / nicht weniger die durch diesen Pro-
cess verursachte Unkosten nach vorgehender derselben Li-
quidation und richterl. Ermäßigung zu erstatten schuldig.

B. N. W.

CONCLVSIO II.

Minor aduersus fatale, licet secunda vice,
lapsum, in integrum restituitur.

Ut aliquis in integrum restitutionis modus sit,
nec res in infinitum beat, si semel restitutio dene-
gata sit, amplius peti nequit. l. 1. C. si saep. in integr. re-
stit. post. ibique Brunnen. n. 6. Ordin. Cam. P. 3. T. 52. Myr-
sing. Cent. c. 52. Nisi scil. noua causa subsit, quae uel
emergat, uel nunc demum ad notitiam perueniat;
exempli causa, si propterea denegata sit, quia tuto-
res soluendo sunt, eos autem tales non fuisse, aut
ex post facto bonis lapsos, appareat, arg. l. 23. ff. d.
minor. add. l. 2. C. si saep. in integr. restit. Eiusmodi
noua causa est, si contra sententiam, qua denegata
est restitutio, appellatio tempore minoris aetatis ad-
huc omissa fuerit. Tunc enim ad appellandum mi-
nor restituendus est, atque adeo in effeſtu minor.

con-

consequitur, quod primo denegatur; quia sic per re-
stitutionem appellationis impugnare potest sententi-
am, contra quam restitutio ipsi denegata fuerat. Sed
licet contra denegatam minor in integrum haud re-
stituatur; tamen aduersus concessam restitutionem
noua restitutionis petitio datur per manifestum tex-
tum in l. 7. §. 9. ff. d. minor. Quod tamen ad restitu-
tionem ab eadem persona denuo petitam restringen-
dum. Nam contra restitutionem ab aduersa parte,
imperatram alia restitutio non datur; Sic si u.g. uni-
uersitas rea in integrum restituta sit, contra id mi-
norennes actor in integrum restitutionem non recte
petit, ne ita in infinitum lites protrahantur, & pri-
mae restitutionis effectus hoc ipso corruat. uid. Cap. p.
Lib. II. Rep. 97. Vbi obiter mirari licet, quod Brunnen,
ad L. 2. C. s. aep. in integr. restit. post. n. 5. illud se cape-
re non posse, afferat, quomodo communitas contra
minorem restitutionem potuerit petere, cum tamen
minor contra minorem non debeat restitui per l. n.
§. pen. ff. d. Minor. Ergo nec communitas minoris iu-
re nixa. Nam manifestum est, fallere memoriam
regularum, quoties unus de damno uitando, alter de
lucro captando certat, idque in fatalium neglectu in-
distincte fieri, & per se liquet, & constanter usu fori
nostrri comprobatum. Fac ergo, uniuersitatem, cui
lis cum minore intercedit, fatale probationis negle-
xisse, habebimus casum, quo restitutioni in integrum
aduersus minorem locus est. Enimuero, quod di-
ximus, aduersus restitutionem denuo in integrum mi-
norem restitui posse, id refelli videtur per l. ult. §. ult.
C. d. bon. quaelib. ubi cautum, si filius aduersus aditio-
nem hereditatis a patre factam in integrum restitu-
tus

1096.

tus fuerit, & deinceps approbans uoluntatem patris
aliam restitutionem petat, eum audiendum non esse.
At enim hoc speciale est in patre, contra quem se-
mel restitutum esse, ob reuerentiam paterham satis
est. *Pfort. Odd. q. 16. art. 9. Ant. Fab. in Rational. ad l. 7. 9.*
ff. d. Minor. Brunnem. ad c. l. ult. 1. 24. Neque obstat ge-
neralitas rationis; ne ludibria ei leges fiant, saepius can-
dem & amplecti & respuere hereditatem cupienti. Nec
enim hoc raro euenit, ut ratio legis generalior sit,
quam eius dispositio. Aliquando uero accidit, ut
non contra datam nec denegatam restitutionem, sed
tamen super eadem re in integrum restitutio petatur,
e.g. si terminus probationis altera uice praeter-
lapsus fit; quo casu denuo minorem audiendum es-
se, aequitati cum primis congruit, idque argumentum
cit. l. 2. C. si saep. integr. restit. t. confirmat. Donell. lib. 21. c. 12.
Marta l. 1. Decis. tit. d. restit. c. 79. seq. Sfort. Odd. q. 16. a 8.
Brunnem. ad c. l. 2. C. n. 3. Vnde uulgatum illud, resti-
tutionis restitutionem haud dari, non aliter uerum
est, quam quod contra denegatam nemo in integrum
restituatur; quin enim in eadem causa ac super eo-
dem fatali saepius in integrum restitutio eidem per-
sonae concedi possit, nihil impedimento est. In-
quam sententiam a Curia Prou. Sax. quae Vitember-
gae est, Term. Quasimod. 1706. pronunciatum est.
Verb. Sent. Das Befl. gestaltten Sachen nach an der
ihnen nachgelassenen Bescheinigung sich nicht versäumet/
sondern damit annoch zu zulassen. V.X.W.

B

CON-

CONCLVSIO III.

Vidua , quae portionem statutariam accepit , propter debitum a marito contrahatum conueniri nequit.

Veritas asserti huius , quod multis neutiquam probari scio , hoc fundamento in primis nititur , quod uidua ex bonis defuncti mariti portionem non iure hereditario , sed statutario , adeoque iure singulari capit ; indeque mariti heres proprie uocari nequit . Id quod pridem obseruauit praeter ceteros Modest. Pistor . P. 1. Q. 3. n. 12. nec non Carpz. P. 2. C. 32. D. 22. n. 2. seqq. Quo praefuncto manifeste consequitur , non teneri uiduam ad aes alienum a marito contractum , ne quidem pro rata , dissoluendum ; cum hoc onus non nisi illis , qui defuncti personam repreäsentant h.e. heredibus incumbat . Conf. omnino Mev. ad Jus Lubec. P. 2. t. 2. a 12. n. 244. seqq. Vnde , cum sapenumero fieri solet , ut a creditoribus defuncti moueat , actio contra die Wittbe und Erben / si appareat , uiduam non nisi statutariam portionem accepisse , pronunciandum fuerit : daß die Klage wieder mit Verl. Wittbe nicht statt hat . Sed quia portio statutaria non nisi deducto aere alieno debetur , adeoque uidua plus iusto accipit , quae , nondum facta illius deductione , portionem capit ; hinc heredes , qui creditoribus defuncti satisfecerunt , regressum suum aduersus uiduam habent , ratamque eius per conditionem indebiti repetere non prohibentur . In quam sententiam M. Iun. 1706. in causa Barbaren Wolffin / contra Sophien Müllerin ad consultationem der Meßschischen Gerichten zu Reichenbach Ordo Vitembergensis respondit .

Verb.

1099.

Verb. Sent: Dass gestalten Sachen nach und in Ansehung/ dass Klägers selbst eigenem Anziehen nach Fol. 282.
seqq. Vcll. Principalin portionem statutariam erfasst/
also eigentlich vor ihres verstorbenen Ehemannis / Abram
ham Müllers/ Erbin nicht zu achten/ folgends auch se-
cundum doctrinam Meu, ad Jus Lubec. P. 2. t. 2. a 12. n.
244. seqq. Vcll. Principalin als eine Creditricin nicht
verhaftet/ die erhobene Klage nicht statt hatt. V. R. W.
Aliam esse Fac. Jurid. Lipl. sententiam , cum eaque
nonnullos ex Scabinis, dissentientibus aliis licet, face-
re, compertum habeo.

CONCLVSION IV.

In Processu Executiuo exceptio incontinen-
ti liquida esse censetur, cuius ueritas
per instrumentum publicum

Notarii probatur.

Dubitatum de hoc est M. Maj. 1707. in causa
Wolff Adams von der Thanne contra Balthasar Will-
helm von Taffran ad requisitionem Regiminis Martis-
burgensis, ubi, instituto processu executiuo ex causa
debiti, reus exceptionem solutionis obiecerat, ean-
demque per instrumentum Notarii desuper confe-
ctum probare uoluerat. Sed praeualuit sententia
affirmativa; quod utique eiusmodi instrumentum,
tanquam publicum, plenam fidem mereatur, cum
que id in aliis negotiis u.g. testamentis nuncupatiuis
usu seruetur, quid obstat, quo miuus eadem fides in
probanda exceptione illi tribuatur? Vnde in memo-
rato casu instrumenti recognitionem actori Ordo
Vitemb, iniunxit; ac simul in euentum reum absolvit.

B 2

Verb.

Verb. Sent. Würde ermeldter Kläger das Vol. sub §
fol. n. seq. bestindliche Document recognosciren / immas-
sen ihm / seines Vorwends ungeachtet / sub poena re-
cogniti zu thun oblieget / so ist Bell. von der angestellten
Klage billig zu entbinden und los zu zehlen. D. A. W.

CONCLVSIO V.

Exceptiones altioris indaginis contra docu-
mentum guarentigionatum oppositae etiam
in Concursibus Creditorum negligi-
dae ac in reconventionis iudicium
reücienda sunt.

Evidem iudicium Concursus creditorum uni-
uersale est, in eoque diuersi generis processus atque
ex diuersis plane causis fundamentisque orti simul
uentilantur, multaque contra communes proceden-
di regulas admittit. *Meb. P. 6. Dec. 337. n. 3. Salga-
do in Labyrinth. Credit. P. 1. c. 16. 1. 17. seqq.* haec tamen
cumulatio salua cuiusque Processus indole ac natura
intelligenda; atque adeo ius creditori ex instrumen-
to guarentigionato quaesitum per aliorum credito-
rum concursum interuerti nequit; praesertim cum
nulla lex vel consuetudo a regula communi hoc in-
passu recedere iubeat, modo non sint eiusmodi ex-
ceptiones, quae creditori iure proprio contra credi-
torem competunt. Tales enim etiam in concursi-
bus per modum separati processus adeoque statim
admittendae ueniunt. Quae sententia hodie non so-
lum in Supremo Appellationum Senatu, sed etiam in
Collegiis Vitembergensibus recepta est; atque ita,
d. 10. Aug. 1706, Ordo Vitemb. consultus a Senatu Hay-
nensi

1100.

nensi in Gebhardis und Fockens Concurs pronuncia-
uit. Verb. Sent. daß Vett. mit denen vorgeschätzten Ex-
ceptionibus in die Reconvention billig zu verweisen.

CONCLVSIO VI.

Maritus in iudicio non potest, ne quidem
una cum uxore, actum, qui speciale man-
datum requirit, expedire.

Equidem non abnuo, in puncto Iuris ueriores
esse contrariam sententiam. Neque enim nullibi hoc
lege interdictum, cumque maritus, curator licet uxori
constitutus haud fuerit, bona immobilia uxoris
cum ipsa ualide alienare possit, quid, quaeso, impedi-
mento est, quo minus etiam alios actus speciali man-
dato indigentes cum uxore exequi possit? *Rauchar.*
P. 1. q. 2. in f. Quod uero ad O. P. S. Tit. 8. attinet, ibi
non de hoc casu agitur, quo uxor praesens est, sed
cum abest, & maritus pro illa, praestita cautione de
rato, comparet. Quocirca res eo redit; si uxor
absens sit, uel per procuratorem sibi specialiter con-
stitutum, uel per maritum de rato cauentem com-
parere potest. Sed quando ipsa cum marito in iu-
dicio praesens est, nihil ultra opus fuerit, sed uti ea
tum item marito committere potest, ita poterit ipsa
etiam cum marito, uel potius maritus cum ea prae-
sente item expedire *B. Zieg. ad O. P. S. C. 1. uerb.* Ge-
richtlich bestätigt. Cuius auctoritatem securus Appel-
lat. Senatus A. 1698. ita pronunciavit. *Rini. t. 8.*
Enunc. 10. Enimuero contraria sententia usu fori Saxo-
nici hodie seruatur, atque adeo non sufficit, si uel maxi-
me maritus, & ipsa etiam uxor simul in iudicio com-

pareant; sed si uxor alium curatorem non habeat, maritus ex officio curator constitui solet; quod sic rectius uxori consuli censetur. Vnde si maritus cum cautione rati compareat, & documentum u.g. recognoscendum sit, maritus id nec ui cautionis de rato, quippe quae defectum specialis mandati non supplet, nec cum uxore simul in iudicium deducta facere potest; sed requiritur, ut curator uxor is constituatur, & deinceps uel ipse cum uxore, uel per aetorem ab utraque constitutum recognoscatur. Ita Scabini Lipsienses in causa Gottfried Heinrichs/ contra Gottfried Bohr und dessen Eheweib/ Christinen/ A. 1703; ubi actor hereditatis petitione simul maritum & uxorem conuenerat, & maritus pro se & nomine uxor is cum cautione rati documentum recognouerat, M. Martii 1703. pronunciarunt. Quod praecipuum habet Dn. Riuin, ad O.P.S. t. 8. Enunc. 10. Ex quo illud etiam sequitur, secundum hanc in Praxi receptam sententiam uxorem cum marito, qui eius Curator haud est, actorem uel procuratorem potius ad negotia iudicia confidit, haud posse. Idem c. l. E. nunc, u. Dn. Berg, ad O.P.S. t. 5. O. 5. Not. 1. inf. Quid vero si maritus aut alias Curator mulieris in iudicio aliquid maioris momenti sine speciali mandato gesserit, u.g. iuramentum detulerit, an hoc in eius commodum ualebit, ita, ut re non amplius integra, u.g. post litteram contestatem, idem si uelit, ratihabere possit. Ita quidem uidetur ex analogia Juris, tum quod in favorem suum mulier curatorem accipiat, adeoque hoc in eius odium detorquendum non sit, tum quod in pupilli ac minoris arbitrio sit, contractum cum maiore initum & claudicantem cum tute de inceps

incept uel curatore ratihabere uelit, nece ne; quod pari
 fauore ad mulierem applicari posse uidetur. Enim
 uero, sicut haec facilius fortasse quis largiatur, cum
 quaestio est de negotio, quod ex se & natura sua non
 potest non meram utilitatem mulieris complecti, u.g.
 fatali oblationis ad iurandum, ita dubito, an uigori
 ac integritati Judiciorum conueniat, ut actus sine
 sufficienti legitimatione admittatur, qui in alterius
 praeiudicium cedere potest; & hinc ob dubiam spem
 ratihabitionis incertum est, an subsistere possit, nec
 ne. Quod si enim hoc admittatur, iam plana erit
 leges circumueniendi uia, ut curator mulieris con-
 sulto illegitimus eius nomine iuramentum deferat,
 eo consilio, ut mulier interim libertatem uariandi
 saluam retineat. Quamuis enim dicatur ad decla-
 randam uoluntatem compelli posse, satius tamen puto
 fuerit, ab initio statim actum sic geri, ut valeat, non ut
 elusorius reddi possit. Et sane non intelligo, cur me-
 lioris conditionis esse debeat mulier, quam minor;
 atqui huius id arbitrio reliquum non est, ut actus a solo
 curatore gestos, si utiles, approbare, sin minus, im-
 probare possit; quin potius ipse semper ualide ob-
 ligatur, nec per restitutionem in integrum ipsi,
 nisi in subisdium tantum & excusso prius Curatore
 subvenitur. 4. 13. C. de indic. Ita Ordo Vitembergensis
 ad requisitionem Jo. Martinis Helmerten / Gerichts-
 Verwalters zu Gamig in causa Samuel Günthers / de-
 fens. nomine seines Ehweibes / Marien / contra Georg
 Nielen. Verb. sent. Dieweil Bekl. auf die erhobene Kla-
 ge geantwortet / und derselben nicht geständig / so ist Kl. den
 Grund davon/ wie recht/ zu erweisen schuldig, &c. Und hat
 gestalten Sachen nach die unternommene Eydes delation
 nicht statt. V. N. W.

CON-

CONCLVSIO VII.

Statutum, in quo certa forma mortis causa disponendi praescripta est, remedium
l. ult. C. d. Fideic. haud excludit.

Si testator heredem praesentem legato uelfidei commisso grauet, subsistit illud, licet nulli testes nulaque solemnia interuenerint; quo casu, si alia probatio desit, iuramentum desuper heredi deferri potest, iuxta leg. famosam ult. C. d. Fideic. Cuius Praxin usus etiam fori constanter sequitur. vid. Carpz. P.3. C.8. D. 4o. Brunnem. ad c. l. ult. Finckelib. Ob. 51. Sicuti uero heredis praesentia expresse requiritur, ita coheredi absenti credulitatis iuramentum deferri nequit, licet fortasse coheredes ipsius fateantur, se ex ore testatoris ultimam ipsius uoluntatem audivisse, ut Scabinos Jenenses A. 1700. aliter respondisse, memoret Dn. Riuin. ad Q.P.S.t.8. Enunc. 7. idemque de Facult. Jurid. Jenens. Teste, Schilt. Ex. ad ff. 40. Append. sub Num. 2. Quid, si uero alicubi priuilegium uel statutum extet, quo certa forma legandi definita est, u. g. quod nemo sine praescitu Senatus & praesentia duorum Senatorum ultimam uoluntatem condere debeat; ana&tio ex c. ult. C. exclusa intelligetur? Quod negandum esse existimo, cum priuilegium & iura eiusmodi statutaria, ceu a Iure communi exorbitantia, strictissime interpretanda atque adeo neutiquam proferenda sint, ad casum modumque disponendi Iuris Civilis singularem, quo plerumque ipse heres sibi iudex constituitur, praesertim cum finis eiusmodi statuti sit, ut fraudes & doli, futuraeque lites praefundantur, quem. &

& nostro casu obtinere, in aprico est. Ita Ordo Vitembergensis a Senatu Zittaviensi consultus in causa Hansi Dößlers in Väterlichen Gewalt seiner 4. Unmündigen Kindere und Cons. contra Elisabeth Dößlerin; ubi exceptionem non competentis actionis propter eiusmodi statutum reus in uim litis ingressum impeditis opposuerat, hac insuper habita, necessitatem litem contestandi eidem iniunxit, Mens. Septemb. 1706.

CONCLVSIO IIIX.

Instrumenta realiter producta communia.

fiunt, adeoque, inuitio aduersario, qui illa recognoscere paratus est, reuocari non possunt.

Quando testes realiter producti sunt, *Beroi in C. licet causam n. 77. X. d. probat. Meu. P. 8. Dec. 3. n. 6.* citra partis adversae consensum revocari haud possunt. Quippe per realem eiusmodi productionem, testes alteri parti communes fiunt, ita, ut pro ultraque parte respondere debeant, neque id ius aduersario quaelitum per reuocationem eidem auferri potest. *Meu. c. l. Berl. P. I. Concl. 38. n. 50. Carpz. Proc. t. 3. a. 1. n. 132. Ord. Proc. Sax. t. 20. § 5. vers. Ebenmäßig soll. Neque vero non idem de instrumentis quoque dicendum est, ut, cum non verbaliter, sed realiter producta sunt, eadem, altero inuitio, reuocare amplius haud liceat. B. Swendend. Proc. Fib. p. 1462.* Censetur autem realis eorundum productio facta esse, quando producens originalia in termino exhibnit, ad quae recognoscenda aduersarius paratus est; Nam si is recognitio-

C

nem

nem detrectet, nulla ratio appetet, cur alter non
& ipse instrumenta omittere, eademque reuocare,
queat; cum utique inuitio beneficium haud conferri
intelligatur. add. *Pacian. de prob. l. i. c. 66. n. 116. seq.* Ita
Domini M. Sept. 1704. in causa Annae Marien Nafso
contra Annen Marthen Nafso.

CONCLUSIO IX.

Agnatis in Feudo ui Juris protimiseos etiam
ius offerendi adversus creditorem pi-
gnoratitium, eiusve emtorem
iuris contristisit competit.

Evidem leges, quibus de iure protimiseos cau-
tum est, de solo casu uenditionis loquitur, ad quem
illud eo magis restringendum esse videtur, quod per
id facultas de rebus suis disponendi coartetur;
atque aliud omnino sit venditio, aliud oppignoratio.
Sed contraria tamen sententia usu, praesertim in Sum-
mo Appellationum Iudicio, invaluit, quae analogiae
Iuris maxime congruens est; quia ius pignoris in feudo
cum iure distrahendi connexum est. *t.e. ff. & C. d. Di-
stract. pign.* Vnde etiam oppignoratio sub alienationis
vocabulo comprehendendi solet. *l. ult. C. d. reb. alien. non
alien.* In quam sententiam respondit Ordo Vittem-
bergensis M. Ian. 1707. ad requisitionem des. Königl.
Schwedischen Hoff-Gerichts zu Greifswalde in causa
Carl Albrechts von Nockowiz/ contra Georg Friedlieb von
Friedeberg. Verb. Rat. dec. Hierüber daß dem Agnato bey
einem Feudo das ius offerendi wieder den Creditorem
pignoratitium, oder dessen emtorem zustehe/ der analo-
giae Iuris gemäß/ in Erwegung/ daß das Ius pignoris
so auf

so auf dem Feudo hafftet / mit dem iure distrahendi ver-
 knüpft / ingleichen die Oppignoratio sub vocabulo alienationis mit begriffen / also secundum regulas bonaे interpretationis, das Ius protimiseos, ungeachtet solches sonst allein in casu venditionis statt hat / ad oppignorationem, als welche in effectu iuris pro venditione geachtet wird / billig zu erstricken / dergestalt / daß / gleich wie einem Agnato, wenn der Kauf würcklich geschiehet / solchen zu hinterziehen / oder auch in gesetzter Frist das Lehn von dem extraneo emtore zu retrahiren freystehet / also demselben vielmehr die auf dem Lehn hafftende Schulden zu Vermeidung der bevorstehenden würcklichen Bereuezung zu tilgen / das Lehn in des Schuldnern dominio zu erhalten / und sich dagegen in des frembden Creditoris Recht / bis zur erfolgten Wiederzahlung zu setzen / unbenommen.

CONCLVSION X.

Poenam desertionis haudquam incurrit,
 qui in oblatione ad iurandum aduersarium sub formula, *ad videndum iuriari*, citar in non petiit.

Equidem haec formula in O. P. S. habetur, sed non praecise forma, quae per aequipollens adimpletri nequeat, praescripta est. Secus ac Scabini Lipsienses centent, qui eam ita necessariam putant, ut, illa omissa, iuramentum pro deserto habeant. Vnde A. 1705. ad requisitionem des Raths zu Dierenburg in causa Barbaren Jahnin contra Margarethen Eichelboron cum rea, cui iuramentum fuerat delatum, petiisse, ut actrix citaretur ad terminum iurandi gehüh-

rend / hac formula: ad videndum iurari , omissa, licet
actu etiam deinde iurasset, tamen iuramentum pro
deserto habuerunt, ac ream condemnarunt. Quam
sententiam in instantia Leuterationis Ordo Vitemb.
correxit; Verb. Sent. Nummeho aus denen Aeten und
dever Partheyen rechtl. Einbringen so viel zu befinden/ daß
Befl. Principalin an dem zuerkannten Eyde sich nicht ver-
fäumet/ also dever libellirten injurien halber 5. Thal. samt
denen Unkosten zu erstatte nicht schuldig/ noch auch 8. Tat-
ge lang mit Gefängniß/ oder umb 4. U. sch. zu bestraffen/ son-
dern es ist dieselbe / weil sie angeregten Eyd allbereit wür-
lich abgeschworen/ von der angestellten Klage billig zu ent-
binden/ und losz zu sprechen/ compensatis expensis. V.
R. W.

CONCLVSIÖ XI.

Intuitu laudemii domino non competit hy-
potheca tacita.

Evidem non desunt, qui domino eiusmodi hy-
pothecam tribuere velint, quorum tamen opinioni
refellendae vel hoc unum sufficit, quod lex de eius-
modi hypotheca fileat; hypothecam vero tacitam
sine legis dispositione constitui haud posse, tralatitium
habetur. Add Frantz. Tr. d. laudem. c. 24. Klock. ad Æmr. I.
2. c. 42. n. 99. Ita censuit Ordo Vit. M. Mai. 1707. in causa
Gottfried Ehwalts contra Daniel Wertheimster ad con-
sultationem Capituli Magdeburgensis; aliter ac Scab-
binis Lipsiensibus videtur; qui, intuitu laudemii, tacita
tam hypothecam, absque tamen praelationis iure,
competere putant; teste Dn. Rivin. ad O. P. S. f. 45. En. 1.
Sicuti etiam in Ducatu Magdeburgico per Ord. Proc.
Cap. 48. Clasf. I. §. 15. laudemium inter onera realia ex-
preffe

presse refertur. Verb. Dergleichen Onera realia, als die
Lehnwaaren &c.

1104.

CONCLVSIO XII.

Possessionatus sub litis ingressu, si, lite pen-
dente, possessionem vendat, aut faculta-
tibus labatur, satisdare tenetur.

Equidem contrarium in theoria verius est, pro-
pter manifestam l. 15. §. ult ff. quisariad. cog. Cuius haec
verba sunt: *Possessor autem quis, nec ne, fuerit, tem-
pus cautionis spectandum est. Nam sicut ei, qui post cau-
tionem possessionem vendidit, nihil obstat; ita nec prodest
ei, qui post cautionem possidere coepit.* Cuius legis
sensu simplicissime hoc reddit, quod in diudi-
canda immunitate a satisdatione ad illud tempus,
quo cautio alias regulariter exigitur, respicien-
dum sit, ita, ut satis sit, si quis tunc immobilia possi-
dear, licet eadem deinceps, durante lite, alienet; &
ex adverso, quod satisdatio semel praestita perpetuo
duret, nec finiatur, licet quis post eius praestationem
immobilia acquisiverit, & possidere cooperit. Unde
manifestum est, haudquam ferendam esse inter-
pretationem eorum, qui id solum memorata lege
cautum esse volunt, quod possessor immobilium ea
vendere non prohibeat. salva tamen facultate exi-
gendi satisdationem. *Suspendend. ad Eckolt. t. qui satisd.
cog. §. 16.* Neque enim ibi sermo est de validitate ven-
ditionis adhuc contrahendae, sed de alienatione iam
facta, & utrum illa ratione satisdationis obfit? Nec
etiam citata lex de tali casu intelligi potest, ubi pos-
sessor immobilium sponte satisdedit, quod quidem

C 3

Carpz.

Carpe. P. I. C. 4. D. II. n. 7. Schilt. Ex. ad ff. 7. tb. 20. aliquae volunt; quia haec interpretatio mere divinatoria est, eiusque in illa lege nullum vestigium occurrit. **Quod** enim cautionis fit mentio, id non de satisdatione, sed nude promissoria, quae cautionis vocabulo simpliciter posito, venire solet. **I. 3. C. d. V. S.** accipiendo est. vid. **Tabor. ad Wefenb. Disp. 5. Qu. 10. Dn. Berger. Res. Laut. c. t.** Imo putaverim, Domitianam quaestionem esse, an alienatio fundi reo obsit, si ipse satisdationem ante praestiterit. Enimvero contrarium fori constans usus, praesertim in Saxonia, recepit, qui hac in primis ratione defendi videtur posse, quod tali casu perinde subsit fugae suspicio, ac si quis ab initio statim immobilia non habuisset, quo casu eum ad satisdationem teneri, expeditum est.

CONCLVSIO XIII.

Actus contentiosae Jurisdictionis, ne quidem consensu partium extra territorium ius dicentis exerceri possunt.

Evidem expediti iuris est, quod Iurisdictio ita prorogari possit, ut inter eas personas ius reddiqueat, quae alias Iurisdictioni eius, qui ius dicit, haud subiectae sunt. **I. 1. ff. d. Iudic.** Sed hoc ad prorogationem de persona ad personam, vel de re ad rem restringendum est. **I. 14. & 18. ff. d. Iurisd. I. 74. §. 1. ff. d. Iudic.** Cum ex adverso de loco ad locum non perinde Iurisdictio prorogari possit, ita, ut quis virtute huius prorogationis facultatem etiam extra territorium ius dicendi acquirat. Iudex enim extra territorii sui fines privatiloco est, nec iuris dicundi potestatem

statem habet. *l. ult. ff. d. Iurisd. l. 3. ff. d. Offic. Praef.* Privatus autem consensu litigantium arbiter quidem fieri potest, non vero Iurisdictionem consequi. *l. 3. C. d. Iurisd.* Nec sane ex eo, quod actus voluntariae Iurisdictionis etiam extra territorium ius dicentis expediri possint, recte infertur, contentiosam quoq; Iurisdictionem extra limites territorii in volentes ac consentientes recte exerceri. Quod enim voluntaria Iurisdictionis ubique exerceri potest, id non ex prorogatione & voluntate privatorum, sed ex ipsa eius indole ac natura est. Quocirca etiam contentiosae Iurisdictionis natura immutabilis est, nec partium consensu in voluntariam degenerat. Enimvero hoc facile concesserim, posse illud voluntate & compromisso litigantium fieri, ut acta extra territorium Iudicis consequēta sustineantur; quo casu tamen Iurisdictione prorogata dici nequit; sed iudex perinde ac privatus & arbiter consideratur, coram quo gesta itidem in vim compromissi valent; modo scil. vel ipsi litigantes, vel eorum procuratores speciali ad id mandato instructi sic compromittant; quamvis ne id quidem admiserit Fac. Iur. Lips. M. Ian. 1705. in causa Barthol. Hamanns/ contra Andreen Klügeln ad requisitionem des Gerichts- Halters zu Großburg. Imo Iurisdiction contentiosa non solum extra territorium exerceri nequit, sed ne quidem in quolibet ipsius territorii loco; quicunque enim actus causae cognitionem & decretum Magistratus exigunt, pro Tribunal a Iudice expediendi veniunt. *l. 4. ff. d. dilat. l. pen. ff. de l. & l.* Vnde, quod in privata domo Iudicis decretum est, vires rei iudicatae non habet. arg. *l. 4. §. l. ff. d. Offic. Procons. l. 4. C. Quom. & quand. Iud.* Nec obstat, quod in *l. pen. d. l. & l.*

I. & I. Iudicis arbitrio relinquitur, locum, ubi ius reddat, constituere; neque enim hoc eum sensum habet, quod iudex ubivis in territorio suo, etiam domi, aut in itinere ius dicere, sed quod ex pluribus Tribunalibus unum juris dicendi gratia eligere possit. Conf. Vinn. Qu. Sel. lib. I. C. 4. & Conclus. For. ss. p. 118. Qua de re non semel in ipsis rerum argumentis disceptatum esse, Dn. Praeses commen-
munit.

CONCLVSIQ XIV.

Lis in Possessorio Summarissimo mota non
habet effectum interrumpendae prae-
scriptionis, si possessor in eo
vicerit.

Possedit quis praedium alienum per 8. annos, lis nunc inter ipsum & Caium super praesentanea eius possessione oritur; in quo iudicij genere pro possesso sententia fertur; ac, ut fieri solet, auctori Caio petitiorum reservatur, in quo instituendo hic moras negat, nec prius eo experitur, quam illis 8. annis complementum legitimae praeescriptionis acceperit; sed petitior nunc agenti reus opponit exceptionem praeescriptionis, actor replicat, quod haec per institutum possessorum Summarissimum interrupta fuerit; quaeritur, an fundata sit haec replicatio? Quod quidem primo intuitu videri possit, arg. l. 2. C. d. Annal. Except; ubi peculiaris modus interrumpendae praeescriptionis introductus est, vi cuius quaevis denunciatio ac protestatio ad eum effectum sufficere videatur. Atqui talis ipso facto fieri intelligitur, dum quis super

118.

super possessione praedii cum altero litigat, quo ipso
non parum solicitum se in re sua repetenda ostendit; eoque nulla ipsi negligentia, quae tamen fundamen-
tum praescriptionis est, imputari posse vide-
tur; ut, cum fructu possessionis exciderit, saltem in-
terruptae usucaptionis effectu gaudere debeat. Quo
facit etiam *l. 10. C. d. Praescr. long. temp.* ubi b. f. posses-
sionem adeptis longi temporis praescriptio post mo-
ram litis contestandae completa haud proficere dici-
tur. Add. *l. 2. C. d. Praescr. 30. ann.* Enim uero, re accuratius
expensa, facile apparet, huiusmodi interruptionem,
usucaptionis nec rationi, nec Iuri congruere. Quid
enim, quae so, incongruum magis est, quam actori
calumniam, vel saltem temeritatem suam prodefesse,
ac per item ab eo inconsulte motam alterius iustum
possessionem interpellari? Et rectae, puto, rationi
consentaneum est, sententiam, quae possidendi ius,
quod reus habet, confirmavit, ipsi nequaquam frau-
di esse, nec in odium eius detorqueri. Nec vero de-
ficiunt Iuris textus, quibus post litis contestationem
tempus usucaptionis & praescriptionis adhuc currere
dicitur. *Vid. l. 2. S. ult. ff. pro emt. l. 9. S. 6. ff. ad exhibend.*
l. 15. d. R. V. l. 2. ff. pro donat. Vnde tali casu, quo sen-
tentia pro possessore fertur, nihil praescriptioni item
motam obstat, recte sentiunt *Donell. 5. comment. c. 21. inf.*
Paul. a Castro Consil. 299. n. penult. *Zoes. t. pro emt. n. 72.*
Struv. Ex. 43. tb. 29. Puto autem, a minori ad maius sic
recte colligi: Si ne litis contestatio quidem in iudi-
cio petitorio praescriptionem eo casu, quo reus ab-
solvitur, interrumpere potest, multo minus possessio-
rium Summarissimum temere motum, reo victoriam
reportante, hoc effectu gaudet. Nec vero difficile
est,

D

est, diluere dubia, quae ex adductis supra legibus na-
scuntur. Quod enim ad leg. 2. C. d. Annal. Except.
attinet, primo modus interrupta praescriptionis,
quem illa suppeditat, tunc demum locum habet,
si adversarius, qui rem meam vel hypothecam pos-
sideret, absens sit, vel infans & curatore destitutus, vel
furiosus nullum Curatorem habeat, aut in potestate
constitutus, ut conveniri non possit; deinde, si vel ma-
xime hoc remedium generalius esse, eiusque vim
omnino denuntiationem, instituto possessorio, fa-
ctam habere ponamus, non tamen hoc, ut iam dixi-
mus, maiorem effectum habere potest, quam actio pe-
titoria in iudicium deducta; ut nempe, auctore vincente,
tempus post institutum possessorum ad implendam
usucaptionem non prospicit; Sin autem penes reum pos-
sessio maneat, usucatio cum effectu continuari intel-
ligatur, vid. Hub. Prael. ad ff. t. d. Usucap. & Usurp. pos. 4.
Minus negotii est in resolvenda l. 2. & 10. C. d. praescr.
long. temp. cum illi textus de condemnato, quod sc.
hic contra auctorem non possit praescriptionem alle-
gare, accipiendi sint. Struv. Evol. Contr. t. d. Usurp. &
Usuc. 1b. 29. Pari responsione utimur adversus l. 2. C. d.
praescr. 30. ann. ubi dicitur, praescriptionem longi
temporis non solere patrocinari iis, qui possessionem
inquietudine litis interruptam tenuerunt; quia nec
ibi de casu absoluti possessoris sermo est. Quem in
modum Ordo Vitembergensis post varia dubia ultro
citroque mota M. Apr. 1707. ad requisitionem Regi-
minis Halberstadiensis in causa der Gemeinde zu Vor-
nicke contra die Gemeinde zu Schneitlingen respondit.
Verb. Rat. decid. Ferner in Rechten fassam gegrün-
det / auch in der Billigkeit beruhet/ daß wenn nach erhoben
nen

nen Streit über der beschriebenen Turbation der Besitzer
im Iudicio possessorio obtiniret/ und bey der Possess vel
qs. geschützt wird / lis mota die Erfüllung der praescri-
ption nichts hindere; Dannenhero durch das A. 1696.
veranlaßte Iudicium possessorium, darinnen iehiger Beff.
bey der Possess vel qs. der quaestionirten Hussen und
Trifft geschützt/ die praescription dieser Servitut cum
effectu nicht interrumpiret worden / sondern vielmehr
das tempus tractatae litis in die Praescription mit zu
rechnen/ &c.

CONCLVSION XV.

Si plures litis Consortes, ex quibus unus tan-
tum rite citatus est, in termino omnes ema-
neant, ille solus adversario expensas
termini in solidum restituere
tenetur..

Dubitatum de hoc, & in utramque partem di-
sceptatum esse in Cur. Provinc. quae Vitembergae
est, Term. Quasimod. 1707. ex ore Dn. Praesidis ac-
cepi. Pro negativa facere videtur, quod in adver-
sario culpa resideat, qui id operam non dedit, ut legi-
tima citatio ad omnes emanaret: hoc enim observa-
to, dubium non erat, quintantum pro rata tenere-
tur. Quocirca negligentia alterius non videtur huic
detrimentum afferre posse. Sed praevaluit affirma-
tiva sententia, hac in primis ratione innixa, quod re-
fusio expensarum sit poena contumaciae, quae deli-
ctum involvit; atqui in delictis beneficio divisionis
locum haud esse, per vulgatum est. Vnde sibi impu-
tare debet, quod rite citatus non comparuit, eo que ex-

D 2 pensis;

penis, quas alter fecit, occasionem dedit. Quem
in modum Laudata Curia in causa Friedrich Brands
von Lindau contra Jo Christoph Pistoris sententiam
tulit. Verb. Dass Bekl. nach anderweit vorhergehender
Eadung zu erscheinen/ auf die erhobene Klage sub poena
confessi & convicti sich einzulassen/ und zu antworten/
so wohl/ weil er solches iego nicht gethan/ die Unkosten die-
ses Termins, welche auf 1. Thal. 18. gl. hiermit gemäsi-
get worden/ nebenst denen Hoff-Gerichts-Gebühren/ Kl.
zu erstatten schuldig. Würde nun Kl. Mit Bekl. eben-
mäsig verladen / und ihnen die citation richtig insinuiren
lassen/ so sind dieselbe auf angeregte Klage gleicher gestalt
sich einzulassen / und zu antworten verbunden. B.R.W.

CONCLVSIO XVI.

Actor, qui iusurandum super fundamento
actionis reo delatum sibique relatum prae-
stit, ad reprobationem contra proba-
tionem exceptionum areo susce-
ptam admittendus est.

Dubium hoc non sine ratione videri possit, qvod
utique actor deferendo iusurandum probationem
iam tum praecepit, atque adeo nova probatione uti
haud posse videatur, posteaquam reprobationem pro-
bationis haud dari, tralatitium est. Enimvero intelli-
gendum est, hanc reprobationem circa aliud plane ob-
iectum occupari, quam eam, qua actor deferendo iu-
ramentum defunctus est. Illa enim ad veritatem
fundamenti agendi, in quo libellus innititur, perti-
net; haec vero ad elidendas exceptiones a reo obie-
cta

Etas tendit, quas utique praevidere ac replicam li-
 bello simul inserere actor non semper potest. Cumq;
 actori eo casu, quo reus item affirmative contesta-
 tur, & exceptiones opponit, reprobatio citra dubiu-
 um salva sit, iuramentum licet detulerit, paritas ra-
 tionis, quae utrinque subest, omnino exigit, ut hoc
 quoque casu eiusdem beneficio frui debeat. Ita cen-
 suit Ordo Vitembergensis M. Aug. 1706. in causa
 Hans Friedrich von Mühlgeroda contra Jacob Hum-
 perten ad requisitionem Regiminis Sondershusani,
 Verb. Sent. Dass der von Beklagten übergebene acht und
 neundte Beweiss-Articul nicht zulässlich; Hingegen ist
 Kläger das sub A producire Document, wenn solches
 in originali vorgeleget wird / seines Einwendens ungeach-
 tet / gebührend zu recognosciren schuldig / es bleibt ihm
 aber sein bedingter Gegenbeweiss / Eydes-delation, und
 andere rechel. Notdurft billig vorbehalten. V. A. W. Verb.
 Rat. decid. Obwohl einem Kläger weder gedoppelter
 Beweiss seiner Klage / noch reprobatio reprobationis
 zu verstatthen / auch wieder die Gewissens Vertretung kein
 Gegenbeweiss zulässlich / so ist doch allhier von dem Beweiss
 der Klage keine Frage mehr / denn wenn man den fol. 79.
 beständlichen / und auf Beklagtens relation von Klägern ab-
 geschworenen Eyd mit der Klage fol. 1. Vol. 1. conferret /
 befindet sich/dass die ganze Klage außer denen Puncten / die
 Kläger fallen lassen/beschworen worden/wie denn Kläger auch
 keinen fernern Beweiss derselben / sondern einen Gegenbe-
 weiss wider den per indicatum nachgelassenen/und angetre-
 tenen Beweiss der vorgesuchten exceptionen suchen/wel-
 cher allhier so viel weniger pro reprobatione reprobatio-
 nis zu achten / weil kein Beweiss der Klage / darben Klä-
 ger

ger seine articul auf Verlagens exceptiones hätte einrich-
ten können / geführet worden.

CONCLVSION XVII.

Ex mandato Elect. d. Anno 1623. d. 25. Apr.
privati ad repetendas praediorum suo-
rum pertinentias fundatam in-
tentionem habent.

Equidem conclusio haec gravissimo dubio non
vacat. Nam memoratum mandatum ad solos
Praefectos Electorales emanavit, qibus iniunctum,
ne permittant, ut partes praediorum divellantur, nec
praeter hoc mandatum alia lex prohibitiva extat, quae
pertinentias, ut vocant, praediorum distrahere ve-
tat, & consilidationem partium disiunctarum simul
praecipit; atque adeo nullum inde ius agendi priva-
tis competere videtur. Quibus adductis Scabini Li-
psienses eos, qui eiusmodi actionem instituunt, a li-
mme Iudicij statim repellunt, ceu fundamento agen-
di omnino destitutos. Cuius sententiae praejudicia
vid. apud Dn. Röbin. ad O. P. S. t. 5. En. 27. Alter ac Vi-
tembergensia Collegia opinantur; quae dictum man-
datum constanti iudicio ita interpretantur, ut priva-
tos inde ius agendi habere existiment. Hoc ipso
enim, dum Praefecti huius generis venditionem con-
firmare prohibentur, ipsa venditio ob publicam uti-
litatem, quae ratione onerum subest, pro invalida
declaratur. In quam sententiam saepius ac sigillatim
in Term. Quasimod. 1706. a Curia Prov. Sax. in cau-
sa Andreen Jacobs und Consorten contra Hans Placken
pronunciatum est.

CON-

1109.

CONCLVSION XVIII.

Modum procedendi in Processu ex *L. diffamari* 5. *C. d. Ingen. manum*. quam fieri potest, maxime restringi a iudice par est.

Iudicium provocatorium ex famosa *L. diffamari* s. *C. d. Ingen. manum*. praeparatorium est, & nonnisi viam actioni principali sternit. Quale iudicium sua natura summarium esse solet. *Carpz. Proc. t. 1. c. 1. n. 49.* Accedit, quod ne quidem per actionem proprie sic dictam ventiletur, sed per nudam implorationem officii Iudicis; quo casu summarie pocedi, ratio exigit. *Carpz. c. 1. n. 50.* Quod enim aliqui Doctorum provocationem hanc nihil aliud, quam conditionem ex Lege esse contendunt; vid. *Blarer. ad l. diffamari* 5. *C. 1. n. 4.* id nulla ratione admitti potest. Condictio enim, ceu actio personalis, supponit obligationem, saltem ex Iure simplicis promissionis ortam. *Wesenb. ad tit. d. Cond. ex L. n. 2.* qualis utique in eo, qui ad agendum provocatur, haudquam subest; cumque omnium actionum, atque adeo etiam condictiorum ex Leg. ea natura sit, ut persequantur, quod sibi debetur. *pr. I. d. Art. Diffamatus ex adverso* haud petet, quod sibi debetur, sed alterum adactum vult ad probandum id, quod a me sibi deberi, praerendit, vel ad silendū. *Brunnem. ad L. lin. ff. d. Condict. ex Leg. Dn. Stryck. ad Lauterb. c. 2. verb. officii.* Ex quo liquet, in hoc Processus genere omnes ambages praescindendas, atque adeo, si provocatus diffimationem fateatur, & super exceptione veritatis iuramentum deferat, huius praestationem statim

statim provocanti a Iudice iniungendam, neque novo ac peculiari libello opus esse. Quod cum non animadvertisset Senatus in causa Christoph Gleichbergens contra Marien Magdalenen Schöppenthalin / decretum eius in leuterationis instantia ab Ordine Vitemberg. M. Iul. 1706. reformatum est. Verb. Sent. Nunmehr aus denen Acten und derer Partheyen rechtlichen Einbringen so viel zu befinden / daß provocant zu fernerer Einlaßung auf die Fol. 6. befindliche Klage provocaten citieren zu lassen / und beyderseits darüber zu verfahren nicht schuldig / sondern derselbe den Fol. 10. b. deferirten und von ihm acceptirten Eyd nach vorhergehenden ermeldten provocantens Eyd vor Gefehde abzuschwören verbunden. B. X. V.

CONCLVSIO XIX.

Non semper consultum est in Saxonia, processum summarium ex §. 8. Resol. Gravam. d. A. 1661. instituere.

In dicto §. 8. Resol. Gravam. permittitur actori eo casu, quo omnia libelli capita incontinenti ex documentis probari possunt, causam sua natura ordinariam processu summario ventilare. Quod cum facit, manifestum est, probationem ab ipso anticipari, etumque adeo ab ipso certum probandi genus, nempe per documenta. Quocirca hoc casu reus quidem, sicut in omni processu summario, contraria demonstratione gaudet, in eaque veritate exceptionum suarum deducere potest. Sed adversus hanc actori nulla nova demonstratio indulgetur; quippe haec reprobatio reprobationis foret, quae iuri haudquam

H10

quam congruit; & habet, quod sibi imputet actor,
quod replicam adversus rei exceptiones vel non in-
seruit libello, vel omnino hunc procedendi modum
incautus elegit, quo omnis alia probationis species,
puta per testes & delationem iurisurandi, nec non
replica contra exceptiones, quatenus libello haud con-
prehensa est, paecluditur. Ex quibus illud etiam
in aprico est, ineptum esse libellum, in quo actor par-
tim iusurandum desert, partim vero documentorum
recognitionem petit; quod tamen ad forum Sax. E-
lectorale restri&um velim; quin enim extra Electo-
ratum in foro communis eiusmodi libellus sustineri
queat, ambigendum haud est; cum nec iuris ratio
obstet, nec id processus summarii indoles ac natura
impedit. Quem in modum Domini M. Nov. 1704.
a Senatu Budissino consulti responderunt. Obuias
fortasse, imprudenter actorem facere, qui, cum omnia
libelli capita ex documentis incontinenti probare
potest, summarie potius, quam executive experia-
tur, eoque reo facultatem per testes, vel delationem
iurisurandi exceptiones suas demonstrandi adimat.
Enimvero processui executivo non semper locus est,
cum documenta praesto sunt, sed reum in illis no-
minatum esse oportet. Quod perinde in processu
sumario necessarium haud est. Sic e.g. si quis a-
ctionem hypothecariam in iudicium deducturus in-
strumentum obligationis ac hypothecae habeat, nec-
non ex catastro desumtum testimonium de publicis
oneribus hactenus a reo solutis, summarie quidem
agere potest, sed non executive; cum reus in chiro-
grapho, nec non instrumento hypothecae nomina-
tus haud sit, atque adeo eiusmodi documenta pro-
prie

E

prie, ac in sensu stricto guarentigionata vocari non possint. Quo loco illud per se manifestum est, nominationem rei intelligi non praecise veram & expressam, sed satis esse, si nominatus sit is, cuius personam reus repreäsentat. Unde contra heredem etiam executive agi posse, non dubitatur; quo casu, si ille heredem se esse neget, qualitatem hanc probare auctori incumbit; quae tamen cum extrinseca sit, nec ipsam processus substantiam ingrediatur, etiam per testes, vel iuramenti delationem, suspenso tantisper processu executivo, probari potest.

CONCLVSIO XX.

Quoties impuberi minorive delatum est in iudicio a parte adversa iusurandum, huius praeftatio usque ad completum annum decimum octavum sine distinctione sexus suspenditur.

In foro Saxonico cum iuramentum pupillis & minoribus defertur, quod fieri posse ex l. 26. ff. d. Ju-rej. & l. 4. in f. ff. d. in lit. iur. liquet, ad illud pupillorum nomine praelatum tutores haudquaquam admittuntur; quia nemo in Saxonia per intermedium personam iurare valet. Land X. Lib. I. Art. 46. O.P.S.t.18. §. Es soll auch ein ieder. Unde actus iurandi suspenditur, bis sie ihre Mündigkeit erreicht. Berlicb. Dec. 164. Carpz. P. 1. C. El. 24. Dec. §. Sed de quo termino hoc capendum sit, non semel disceptatum fuisse, in foro memini; cum quidem alii pubertatem atque adeo pro diversitate sexus annum 12. vel 14. sufficere putarent; alii contra maiorenitatem exigenter, rursus alii medium

1111.

diam ingressi viam pleham pubertatem h. e. annum
18. sine discriminâ sexus, pro termino constituerent.
Quae postrema sententia, ceu iuri maxime congruens, tandem praevaluit. Plena enim pubertas, seu
aetas 18. annorum ad negotia magni ponderis, quale
fine dubio iuramenti praestatio est, expedienda suffi-
cens in Iure habetur. Ita sententia a Judice, qui 18.
aetatis annum explevit, lata subsistit 1.57. ff. d. Re indic.
Sic idem annus perfectam aetatem in Ele&toribus ab-
solvit 1.8. c. 7. §. 4. Sic etiam in Ele&toratu Saxoniae
eadem aetas in Vasallis minoribus legitima est ad iu-
ramentum praestandum. Mandat. Ele&t. Wegen Suchung
der Lehns d. A. 1657. Verb. dem Unmündigen. Quo faciunt,
quae ex Iure Alemann. Feud. Schilt. ad I. A.F. p. 63. seqq.
affert. Sane tenera aetas, atque adeo simplex
pubertas, cum ad mentiendum proclivis sit, arg. 1. 15.
§. 1. ff. d. quaeſt. imbecillis etiam & variis captio-
nibus exposita 1. 1. ff. d. Min. haudquaquam suffi-
cere intelligitur; ad maiorennitatem vero actum
hunc differre, publica utilitas & litium finiendarum
favor prohibet. 1. 2. ff. d. Re indic. 1. 13. C. d. indic. Atque
haec sententia hodierno fori Saxonici usu confirma-
tur, eandemque sigillatim pronunciando secuta est
Supr. Cur. Prov. Lips. A. 1695. & 98. in causa E. v.
H. contra L. G. v. H. und Conſorten / teste Dn. Menck.
in Progr. d. A. 1699. Necnon Senatus Appellationum &
Scabini Lipsienses, memorante Dn. Rivino. ad O.P.S.t.
18. En. 137. Quae etiam in Collegiis Vitembergensis
hodie uſu iervatur. Idem terminus ob paritatem
rationis obtinet in relatione iuramenti, nec non con-
scientiae per probationes defensione. Ad utram-
que enim pariter minor ante completum 18. aetatis

E 2

annum

annum cogi nequit; nisi fortasse facta sint propria__,
in quibus relationi locus non est, tunc enim nihil pro-
hibet, quo minus minorem ad conscientiam proba-
tionibus tuendam statim, non expectata pubertate
plena, adstringamus.

CONCLVSIO XXI.

Quando per sententiam definitivam refusio
sumptuum totius processus alicui iniuncta
est, vi huius sententiae victor futuras retar-
dati processus expensas, ob adhibita reme-
dia suspensiva ac devolutiva, petitas, sed
in pronunciando praeteritas ab
adversario haud conse-
quitur.

Ratione expensarum cum alia, tum hoc inpri-
mis notatu dignum discrimen est, quod earum qua-
dam iure obligationis debeantur, v. g. restitutio-
nellarum in instrumento expresse promissa; aliae au-
tem non nisi Iudicis officio. Prioris generis expen-
sa, quamvis causa principalis per sententiam decisa
sit, tamen adhuc peti queunt, scil. per modum pecu-
liaris actionis in iudicium deductae. *Surdus Dec. 261.n.
8. Klock. Conf. 96.n.36.* Aliter longe cum illis expensis
comparatum est, quarum refusio non a peculiari a-
liqua obligatione, sed a solo Iudicis officio dependet.
Hae enim in sententia, quae vim rei iudicate accepit,
praeteritae non amplius debentur; quod nefas sit, post
absolutum dimissumque iudicium ex litis primae materia
novam item consurgere, uti dicitur in l. 3. C. d. *Fruct. E.
lit.*

lit. exp. Ant. Fab. in C. I. 7. t. 18. d. 82. Afflct. Dec. 42. n. 2.
 Boër. Dec. 18. & 52. n. 7. Carpz. P. 1. C. 31. d. 21. Brunnem. ad
 c. 1. 3. Quae quidem distinctio pervagatissima est, eam-
 que nemo facile in dubium vocare ausit. Quid
 vero, si per sententiam definitivam alterutri litigan-
 tium restitutio expensarum totius Processus iniuncta,
 eademque, remedio suspensivo contra illam interpo-
 sito, confirmata quidem, sed expensæ retardati Pro-
 cessus præterita fuerint, num hæc nihiloscius vi
 praecedentis sententiae definitivæ restituenda sunt?
 De quo Pragmaticos in orandis definiendisque causis
 versatissimos non semel dubitasse commemini. Ubi
 segregandum puto casum, ceu rarissimum & vix un-
 quam evenientem, quo leuteratus vel Appellatus,
 (si fas est stylo forensi uti) expensas retardati Pro-
 cessus sibi restitui non petuit; hic enim facilius forte
 aliquis largiatur, priori sententia simpliciter confirma-
 ta, sub expensis Universi Processus etiam has retar-
 dati Processus, utpote non speciatim exceptas, com-
 prehendi. Enimvero si, quod regulariter fieri solet,
 refusio earum expresse petita, sed in sententia, quae
 vires rei iudicatae accepit, præterita fuerit, altioris
 indaginis est, an nihiloscius vi praecedentis senten-
 tiae definitivæ facienda sit. Quod non citra rationem
 negari puto. Sane pervulgatum est Iurisprincipium, si
 quis etiam vi rei iudicatae aliquid sibi adiudicari petat,
 quod Index in sententia deinceps prætermittit, non
 aliter accipendum, ac si tacite denegatum, nec eius
 ulla ratio habita fuisset; quod cur in praesenti casu
 non perinde sibi locum vindicare debeat, haud intel-
 ligo; praesertim cum integrum fuerit, huiusmodi

E 3

sen-

sententiam aliquo remedio suspendi; quod qui non
fecit, non immerito sua negligentiae & incuriae
poenam luit. In quam sententiam Ordo Vitemb.
Mens. Iul. 1706 ad requisitionem Senatus Dresdensis
in causa Siegmund Ernst Saphes/ contra Friedrich Will-
helm Praeten respondit. Verb. Nummehro aus denen
Acten und derer Partheyen rechtl. Einbringen so viel zu be-
finden/ daß Bekl. gestallten Sachen nach von denen fol.
137. a. sub. No. 3. liquidirten/ und auf 25. Th. 18 gl. gemäß-
sigten Unkosten ein mehrers nicht/ als 20. Thal. 12. gl. und
von denen sub No. IV. angegebenen nur 12. Thal. Klägern
zu erstatten schuldig. Eundem in modum Facult. Ju-
rid. Halensis M. Mart. 1707. in causa der Lein-Weber
Zunft zu Coburg/ contra Heinrich Heldren ad requi-
sitionem Praefecti Loburgensis respondit. Verb. Sent.
Dass Bekl. mit Erfüllung derer Unkosten von Publica-
tion des ersten Urthels/ Fol. 16. an bisz zur publication
des letztern Urthels. Fol. 42. zu verschonen. V. R. W. Sub-
iunctis decidendi rationibus seqq. Dieweil wieder das
erste Urthel von Bekl. Leuterung eingewendet/ in dem letz-
tern Urthel aber das erste confirmiret/ iedoch in senten-
tia Beklagter nicht in die Unkosten retardari processus
condemniret/ folglich die Unkosten tacite compensiret
worden/ und allenfalls Klägere darwieder hätten Leute-
rung einwenden sollen/ so nicht geschehen/ sondern das Ur-
thel Rechts kräftig worden/ gleichwohl aber Bekl. dadurch
nicht von diesen transmissions-Posten liberiret werden
kan/ So sind wir daher beschéhener masen zu erkennen be-
wogen worden. Eundem pronunciandi stylum semel
iterumque secutus est Scabinatus Lipsiensis, teste Dr.
Rivino ad O.P.S. t. 36. Enunc. 13. Alter visum est Con-
fisto.

1113.

sistorio Ecclesiastico, quod Vitembergae est, in causa
Johann Engelhardts nachgelassener Erben / contra Eli-
sabethen Lucien von Rabiell und Consorten M. Iun. 1706.
Verb. Decreti: Dass die sub No. 2. angegebene expensen
auf 6. Thal. 19. gl. ingleichen die sub No. 6. auf 5. Thal. 18.
gl. zu moderiren/ gestalt wir selbige hiermit so hoch mo-
deriven und mästigen/ welche Bell. Principalen des von
ihnen beschehenen Vorwendens ungeachtet Klägern zu er-
stattten schuldig. P.X.W. Cumque remedium Leu-
terationis, quo reus utebatur, reieciſſet, ad interpo-
litam Appellationem, inter alias sequentes Decreti ra-
tiones reddidit: Es können sich Appellanten diesfalls
gar nicht graviret befinden/ indem ihnen das Haupt-Ur-
thel fol. 94. alle durch diesen Proces verursachte Unkosten
zugetheilet/ und dahero vermöge derselben verbunden sind/
alle nachhero aufgelaufne Unkosten ebenmäſig zu erstatten/
ungeachtet das letzte im hohen Appellation-Gerichte fol.
107. gesprochene Urthel der Unkosten nicht gedacht/ als
welches unmöthig/ und Klägern allbereit in dem Haupto
Urteil/ darinnen auf alle Unkosten erkannt/ gnugsam pro-
spiciret gewesen/ immassen diese Praxis judiciorum in
Elect. ad Ord. Proe. Saxon. Bergeritit. 36. Obs. 2. n. 5. angemer-
cket ist. Ubi tamen non video, quid illam opinionem
allegata Dr. Bergeri doctrina c.l. stabilire queat; quip-
pe quae, nisi me omnia fallunt, plane eadem cum
nostra est. Nam & casum, quo expensae retardati
processus petita ac in sententia praetermissae sunt,
disertis verbis ibi excipit, ac eiusdem praejudicii, quod
supra retulimus, mentionem adiungit.

CON-

CONCLVSIO XXII.

Juramentum sive delatum, sive relatum, sive item calumniae, sive principale, non cessionarius, sed cedens praestare tenetur.

Aliter existimant Scabini Lipsienses apud *Dn. Regin. ad O. P. S. t. 18. Enunc. 52.* quod cessionarius non simplex mandatarius, sed in rem suam procurator sit, cui absque speciali mandato iuriandum defrendi potestas competit. *I. 17. inf. ff. d. Iurei.* cum domini loco habeatur. *I. 13. §. 1. ff. d. paci. I. 9. C. d. Proc. I. 25. ff. eod.* Accedit, quod morosus debitor alias executionem nominis valde difficultem reddere possit, si post assignationem eius in hereditatis divisione unifactam, reliquis coheredibus, qui fortasse absentes sunt, aut propter aetatem ad iurandum nondum admittuntur, molestiam creare velit. Quod vero spectatim ad iuramentum relatum pertinet, illud ei referendum est, qui desert, atque adeo a deferente praestandum. *I. 34. §. 7. d. Iurei.* Enimvero contraria sententia, quod cessionarius ad iurandum haudquam admittendus sit, iuri eiusdemq; rationi magis congruere intelligitur. Manifestum enim est, per cessionem a Creditore factam conditionem debitoris duriorem reddi haud posse; quod sane futurum, si iuramentum praestare cessionario liceret, qui plerumque non tam exactam causae notitiam habet, quantam cedens, atque adeo iuriandum de veritate saepius in iuramentum credulitatis cum maximo debitoris praetiudicio degeneraret. Nec sane rationes in con-

tra-

1114.

trarium allatae obstant. Quamvis enim cessionarius sit procurator in rem suam, non tamen proprius dominus est, sed procurator manet. *4.8. C. d. bered. & aet. rend. l. 33. l. 34. d. Proc.* Neque potestas praestandi iuramentum cum facultate illud deferendi necessario cohaeret, nisi procuratorem speciali mandato instructum, qui utique iuramentum deferre potest, ad idem quoque praestandum admittere velimus; quod iuri, cum primis Saxonico, haudquaquam convenire in aprico est. Cumque in debitoris, cui a cessionario iusurandum delatum est, arbitrio sit, praestare illud, an referre velit; haec ipsi libertas indirecte eriperetur, si cessionario de credulitate iurandi potestas fieret; cum enim huius sacramenti generi plerumque parum fidere liceat, nisi lubrico ancipiatis actui causae eventum committere velit, ipse iusurandum subire cogeretur. Malitia vero ac dolus indebitore cesso praesumi haud debet; cum suo iure utens nemini iniuriam facere intelligatur. Et in hanc sententiam Collegia Vitembergensia semel iterumque pronunciasse recordor.

CONCLVSIO XXIII.

In actione negotioria onus probandi reo incumbit, quamvis in qs. possessione servitutis constitutus sit.

Conclusio haec usu fori cum primis nititur, de quo testantur *Carpz. lib. I. Rep. 67. Dn. Berg. E. D. F. t. 20. p. 642, seq. Dn. R. bin. ad O. P. S. t. 20 Enunc. 26.* Nam si veritatem eius secundum principia iuris examine-

F mus,

mus, vix est, ut eadem defendi possit, quin potius
contrarium, quod nempe actor hoc casu probare de-
beat, aperte liquet ex l. 8. §. 3. ff. si serv. vend. iunct. l. 15. ff.
d. Op. nov. nunc. Accedit, quod inter praecipua pos-
sessionis commoda sit immunitas ab onere proban-
di. l. 4. C. d. edend. l. 14. d. prob. l. 23. C. eod. l. 7. §. ult. ff. d.
liber. caus. l. 2. ff. uti possid. Quod & contendunt Mv. P.
§. Dec. 292. Dn. a Lynch. Dec. 17. in f. Lauterb. f. si servit. vin-
dic. Dn. Pagenstecb. Sicil. ad Comp. Lauterb. Man. 4. p. 93. B.
Dn. Leyserus. Diff. d. act. negat. Nec est, quod fortas-
se afferas, ex duabus contrariis praesumptionibus,
quae simul concurrunt, eam, quae ex naturali liber-
tate dicitur, potiorem fortiorēmque illa esse, quae
ex qs. possessione servitutis, ceu instituto humano, o-
ritur. Nec enim regulae huic tuto confidere lice-
re, vel ex sola l. 14. ff. d. prob. appetat; ubi lis agi-
tatur inter patronum & libertinum, qui se ingenu-
um esse assert; cum ille quidem sc. patronus in qs.
possessione libertatis constitutus sit, ac propterea ab
onere probandi eundem immunem esse, profitetur
ICTus. Hic sane duae eiusmodi praesumptiones con-
currunt, altera ex libertate naturali, intuitu cuius
quisque ingenuus esse censetur, altera ex instituto hu-
mano orta, quale utique libertinitas est, ceu origini
humanae adversa; & nihilosecius haec posterior praes-
umptionio praefertur, ac onus probandi in alterum, qui
ingenuum se esse dicit, reiicit. Nec tamen abnuo,
priorem, usuque magis receptam opinionem aequi-
tati saltem maxime congruere. Cum enim ad
qs. possessionem servitutis acquirendam unicus a-
ctus sufficiat, consequeretur inde, propter simplicem
eiusmodi actum admissum probandi onus statim in-

acto-

1115.

actorem transferri oportere, quod himis durum fo-
ret. Nec aegre reus, qui in possessorio iudicio vi-
ctoriam obtinuit, feret, quod denuo probandi onus
subire teneatur. Vtraque enim probatio diversum
plane obiectum habet; altera qs. possessionem, alte-
ra ipsum ius servitutis constitutum. Quam sententi-
am ipsa quoque procedendi ratio in actione negati-
va, commendare intelligitur. Actor enim funda-
mentum suum in libertate naturali collocat, reoque
servitutem competere negat. Quocirca reus in litis
contestatione actori contradicendo non potest non
sibi servitutem asserere, quam affirmativam, ceu in-
tentionis eius fundamentum, ab ipso probari aequum
fuerit. arg. I. 10. C. d. non num. pec. Plura vid. apud Dn.
Stryck. U. M. ff. t. si servit. vindic. §. 2. B. svvendend. Summ.
action. expos. c. 2. membr. II. §. 6. Caeterum communi
hac opinione praeficta, ne decennalis quidem pos-
sessionis ratio in foro Saxonico habenda erit. Quod enim
lure Romano, lege in primis 10. si serv. vind. ha-
betur, eum, qui 10. annis servitutem qs. possedit,
non opus habere, ut ius servitutis constitutum doce-
at, eius ratio haec est, quod per decennalem pree-
scriptionem ipsa servitus acquisita est; quod ad forum
Saxonicum, ubi 30. annorum lapsus requiritur, omni-
no non quadrat. Quamvis autem actor in actione
negatoria ab onere probandi regulariter immunis sit,
dominium tamen praedii, quod a servitute liberum
dicit, licet tantum summariter, probare debet, ade-
o, ut solam possessionem, ex qua dominium pree-
sumitur, demonstrata esse sufficiat. Mynsing. I. Obs. 10.
Etiam si fortasse probatio, Beweiss/ per sententiam in-
iuncta sit. Aequitas enim iubet, ut hoc casu verba

F 2 senten-

sententiae haud captemus, sed pro natura ac indele
subiectae materiae interpretemur.

CONCLVSIONE XXIV.

In foro Saxonico effectus sententiae super
eventuali litis contestatione latae tamdiu in
suspensiō manet, donec ab actore praef-
stītum sit, quod ipsi ratione exce-
ptionum dilatoriarum iniun-
ctum est.

Saepissime evenire solet, ut eadem sententia &
actori quaedam ratione exceptionum dilatoriarum
iniungantur, & simul super eventuali litis contestatio-
ne iudicetur. Quo casu reus ad ulteriora, quae ipsi
per sententiam imperata sunt, haud tenetur, nisi pri-
us actor ex sua parte eidem satisfecerit. *Ord. Proc. Sax.*
t. n. §. Es soll aber. Eiusmodi enim sententia con-
ditionalis esse, nec prius, quam praestitis ab actore
praestandis, purificari intelligitur. Sic v.g. si ab acto-
re praestanda fuerit guaranda, aut satisdatio pro re-
conventione & expensis, cum ad illas per ipsam le-
gis dispositionem adstringatur, tanti quidem hae ex-
ceptiones non sunt, ut propterea iudicium super e-
ventuali litis contestatione suspendatur. *Carpz. Proc.*
tit. 9. art. 1. n. 85. B. Ziegler, ad O.P.S. c.l. verb. den würtzlichen
Effect. quin potius super utroque capite in una ea-
demque sententia secundum formulam, quae apud
Carpz. c. l. habetur, pronunciari solet; sed effectum,
tamen sententia habere nequit, nisi actor ea, quae
ipsi, ratione exceptionum dilatoriarum, iniuncta sunt,
rite

1118.

rite impleverit. Unde octiduum oblationis ad intrandum currit demum a tempore notificationis, quod dilatoriis actor satisfecerit, vel si desuper sententia lata sit, a tempore, quo haec vires rei iudicatae accepta sunt; imo nec probatio tali casu fit deserta, ad quam se reus, cui iuramentum iniunctum est, intra octiduum pro exoneranda conscientia obtulit, quamvis intra terminum Saxonicum articulos probatoriales haud exhibuerit. Idem in actore iuris esse, ut & ipsi v.g. fatalia currant, antequam dilatoriae remotae sint, ipsa indoles ac ratio sententiae conditionalis evincit. *O. P. S. c. I. verb.* Ingleichen den Kläger, cui tamen, ne moras necat terminus, intra quem dilatoriis satisfaciat, praefigi potest. Sicut etiam integrum est reo, ut actorem, qui in praestanda guaranda vel satisfactione cunctatur, citari curet, ut iudicato satisfaciat, qui, si contumax sit, ac in termino emaneat, in expensas & cautionem, de lite prosequenda condemnatur, reus vero ab instantia absolvitur. *O. P. S. I. n. 5.* Würde denen. Cæterum regulam hactenus expositam, quod fatalia per dilatorias suspendantur, ad exceptionem refusionis expensarum, vel etiam illegitimationis, quippe cui in quavis iudicij parte locus est, haudquam pertinere, a Scabinis Lipsiensibus iudicatum refert *Dn. Rivin. ad O. P. S. I. n. Enunc. 30. & 31. add. Enunc. 22. seqq.*

CONCLVSIO XXV.

Sola mariti debitoris confessio ad probandum dotem ac illata uxoris non sufficit, licet concreditores reliqui eodem probandi modo utantur.

F 3

Alia

Alia est sententia Struvii Ex. 44. th. 49. 'Carpz. P. 1.
C. 28. D. 72. seq. eumque secuti B. Zieg. in Annot. ad O.P.S.t.
43. verb. so viel sie deszen erweisen qui tali casu ulteriori
probatione opus haud esse volunt, quod creditores
reprobare non possint speciem probationis, ad quam
ipsi quoque confugunt. arg. h. i. ff. quod quicunque iur. in-
alt. stat. Enimvero in aprico est, disparem hic pla-
ne uxoris & reliquorum Creditorum conditionem
esse. Nam contra hos, confessione debitoris nixos,
nulla fraudis atque collusionis praesumtio militat;
cum ex adverso maritus utique affectu & amore erga
uxorem, imo & proprii commodi sensu impulsus, fa-
cile eidem gratificari, & testimonium de dote illata,
quamvis revera illata haud sit, dare intelligatur. Cum-
que alias, ac regulariter in concursu solius mariti, iura-
mento licet confirmata, confessio non sufficiat ad do-
tem probandam; quae, quae so, ratio, ut aliud obtine-
re debeat eo casu, quo Creditores ordinariae ac validissima
probatione uruntur? Atque hanc sententiam non
solum Brunnem. in Dec. 18. Cent. I. sed etiam Scabini Lipsi-
enses in decidendis causis sequuntur. Dn. R. v. ad O.P.S.
t. 43. Enunc. 5.

CONCLVSIO XXVI.

Juramentum necessarium ob noua instru-
menta retractatur, aduersarius licet in im-
positionem consenserit, aut eius pree-
stationem remiserit.

Inter iuramentum delatum, nec non illud, quoda
Iudice ex officio propter inopiam probationum impo-
nitur, ea notabilis differentia intercedit, quod priori ca-
su, cum quis delatum sibi ab aduersario iusitrandum
prae-

sitit, causa ex integro, repertis licet novis instrumentis,
 agitari possit; qua sic temel inita inter partes transa-
 ctio sub obtentu noviter repertorum documentorum
 rescindi nequit. *Iag. C.d. transalt. 43. ff. eod. Carpz. P.1.C.15.
 D.1.n.5.* Quod tamen Iure cum primis Teutonicis limi-
 tari solet, nisi instrumenta nova tam evidentia & cla-
 ra sint, ut protinus ex illis per iurum patescat, ne sc. ex
 delicto lucrum per iurum capiat. *Carpz. Proc. II. 7. 46.
 Ant. Fab. C.4.l. Def. 2. Schilt. Ex. ad ff. 23. §. 43. Dn. a Lynck. ad
 e. diurein. S. 37. inf. pag. m. 93.* Vnde hoc casu solutum quo-
 que indebiti condicione repeti posse, monet *Carpz.
 P.1.C.15.D.3.n.6. Lynck. c.1.* Enim vero si Index in causa du-
 bia ius iurandum exigit, sententia super eadem lata,
 facilius retractari potest; nec desunt, qui, eiusmodi
 sententiam plane in rem iudicatam haud transire, sibi
 persvadent, cum propter noviter reperta instrumen-
 ta semper retractari queat. *I. 31. ff. d. iurein. Carpz. c.1. d.5.
 & in Proc. tit. 10. art. 2. n. 99. seqq. art. 3. n. 75.* Quod tamen
 admittit non posse videtur. Nec enim haec inter se
 cohaerent; Sententia retractari potest; Ergo non tran-
 sit in rem iudicatam; cum non raro sententia, etiam
 post rem iudicatam; v.g. ex falsis documentis lata re-
 scindi posit. Cum vero iuxta *cit. famosam leg.
 Admonendisimus 31.* iuramentum necessarium ipso iure
 retractetur, nec restitutione in integrum opus fit.
*Carpz. c.1. n.4. id aliqui Doctorum ita limitant, ut retrac-
 tari eandem negent, si adversarius in impositionem
 iuramenti contenserit; tunc enim illud naturam delati*
 atq; adeo vim transactionis accipere volunt. *Richt. Dec.
 8. n. 93. Lynck. c.1. tb. 51. p. 101. Schilt. c.1. §. 45.* qui & cautionem
 hanc adversae parti inculcat, ut aut non consentiat
 in iniunctum ius iurandum, aut expresse sibi ius suum
 quod-

quodcunque testato reservet. At enim verius est, nihil interesse, utrum pars adversa consenserit, aut ius suum sibi reservaverit, nec ne; sed utroque casu pariter retractationi locum esse. Nec enim quisquam sibi praetiudicare intelligitur, dum in id consentit, quod Iudex auctoritate sua facit, & officii intuitu facere tenetur; praesertim cum de iure aliquo futuro agatur, quod quis ex novis documentis habere poterit. Atqui renunciatio ad ignorata vel futura iura haudquaquam extenditur. Add. Berlich. 1. Concl. 53. n.
68. Dn. Stryck. U.M. Pand. t.d. iureiur. §. 41. Par ratio est, si impositum a Iudice iuriandum adversarius remittat. Remissio enim haec, salvo iure, fieri intelligitur, nec maiorem effectum habere potest, quam si iuramentum actu praestitum fuisset.

CONCLVSIO XXVII.

Non minus in Criminali, quam Ciuali, causa, quoties reus sub poena confessi et conuicti citatur, in Saxonia integer terminus Saxonius eidem concedendus est.

De causis Civilibus res manifesta est per expressos textus in Ord. Proc. Sax. t. 4. & Mandat. Elect. d. A. 1670. At non minus ad inquisitiones haec dispositio extendenda videtur; tum, quod circa has aliud nullibi cautum est, tum, quod illae maioris longe momenti, quam causae Civiles sunt; adeoque reum pro contumace minus haberi oportet, nisi spatium legale ipsi indulatum fuerit; cum non satis congruens sit, citius praecludi a defensione inquisitum, & pro confessō atq; conuictō haberi, quam reum civili iudicio pulsatum. Atque

que hanc sententiam Collegia Saxonica cum Vitembergensia, tum Lipsiensia pronunciando tenent.

1114

CONCLVSIO XXVIII.

Qui cavit pro reo iudicio sisti, citationem recipere, eamque huic insinuare haud tenetur.

Cautionis memoratae iudicio sisti finis ac scopus est, ut si reus legitime citatus haud compareat, ipse cavens teneatur; cumque eiusmodi cautio strictissime interpretanda sit, liquet, caventem regulariter non obligari, ut citationem recipiat, eamque reo insinuari curet; sed has partes Iudicis esse. Dixi regulariter; aliud enim dicendum, si cavens ad recipiendas citationes se expresse obligaverit; quod ut fiat, cautelæ loco tenendum est. Alias vero, ut cautio committatur, reum legitime per Iudicem citatum esse oportet, qui, si reus fortasse latitet, eum edictaliter citare potest. Ita censuit Ordo Vitembergensis M. Maj. 1706. ad requisitionem der Stadt-Gerichten zu Jüterbogk. Verb. Sent. Dass George Schulze im Fall dessen Cavent ihm die Citation insinuiren zu lassen nicht gemeinet zu Abschwerung des erkannten Eydes edictaliter in dreyer unterschiedener Herren Landen vorzuladen,
B. N. B.

CONCLVSIO XXIX.

Libellus alternativus in actione hypothecaria contra tertium licet possessorem instituta
vi Clausulae salutaris sustinetur.

In actione hypothecaria contra tertium mota
G peti-

petitum alternativum usu fori, in primis Saxonici,
haud ferri dictum, varieque confirmatum est in *Con-*
clus. 184. Super quo Iuris argumento hodie Consul-
tissimi Viri, *Musaeus*, Antecessor Kilonensis, & *Rivi-*
nus Lipsiensis inter se pererudit disceptant. Inci-
dit eadem *Quaestio superiori* anno M. Aug. in Colleg.
Vitembergensi, cum quidem actor clausulam, qua-
Nobilissimum Iudicis officium pro administranda iu-
stitia implorari solet, libello adieciſſer; quaeſitum est,
an tanta eius vis effet, ut illius virtute libellum alias
ex consveto Judiciorum stylo ineptum sustineri oport-
eret. Ac post varias dubitationes affirmativa pre-
valuit, tum quod analogiae Iuris tale petitum non
repugner, adeoque contraria fori consuetudo stri-
ctissime accipienda fit; tum quod in primis tunc, ubi
clausula salutaris libello adiecta est, Iudicij agendum
est, ut inutiles ac superflua libelli partes a necessa-
riis separat, atque adeo perinde fit, atque si petitum
de praestatione personali, ceu superfluum, fuisset o-
missum. Quanvis enim memoratae clausulae tan-
tum tribuendum non sit, quantum vulgo Dd. volunt.
Vid. *Francisc. Vivius Lib. 2. Dec. 315. n. 5. Gail. l. 1. O. 6r. n. 11.*
seq. Wefenb. Conf. 3. n. 18. seqq. tamen eius in libello, cu-
ius causa petendi & narratio apta est, sed conclusio
inepta, tuendo ratio haberi solet. Cuius aliud exem-
plum est in *Remedio L. 2. C. d. Rescind. vend.* Cum enim
ibi alternative peti debeat, ut vel suppleatur id, quod
laeso secundum iustitiam debetur, vel negotium re-
scindatur. *c. l. 2. C. d. Resc. vend. Richt. 2. Dec. 99. n. 163.* inepta
tamen petitio intuitu clausulae salutaris libellum non
vitiat. Add. *Sande l. 3. t. 4. d. 12.* Vnde Ordo Vitember-
gensis a Praefecto Hoensteinensi consultus in causa

Marien

1119.

Marien Petersin und Cons. contra Johann Christian Putrich/ iententiam priorem, quae libellum alternativum reiecit, in Leuterationis Instantia hunc in modum correxit. Verb.Sent. Nunmehr aus denen Aetern und derer Parthenen rechtlichen Einbringen so viel zu befunden/ das Beckl. sich auf die erhobene Klage gestallten Sachen nach einzulassen/ zu antworten/ und den Krieg Rechbens zu befestigen schuldig. B. N.W.

CONCLVSIO XXX.

Quando reus comparet, et exceptionem termini angusti opponit, neque sententiae cominatoriae, neque in expensas condemnatoriae locus est, nisi integrum terminum

Saxonicum citatio complexa
fuerit.

Equidem iuxta Mandatum Electorale Saxon. d. A. 1670. sufficit, ad primum terminum 3. hebdomadas reo concessas fuisse; eo nimirum effectu, ut in expensarum restitutionem condemnari, & responsio ipsi sub cominatione iniungi possit. At enim observandum est, memoratum Mandatum correctorum Iuris prioris, quo semper integer terminus Saxonius indulgebatur, adeoque strictissime interpretandum, nec ultra casum, de quo conceptum est, ubi nempe reus in primo termino per contumaciam emanet, proferendum esse; ut hinc intelligatur, alterum casum, quo reus comparet, & exceptione angusti termini se tuetur, ex eodem nequaquam definiendum esse. Dn. Berg. El. Discept.

G 2

For.

For. t. 10. Not. 3. Obs. II. Ubi praeiudicia Summi Appellationum Senatus affert. Alia Scab. Lips. sententia est apud *Dn. Rivin. ad O.P.S. t. 10. Enunc. 50.* Plane si reus in termino adsit, &c, omissa hac exceptione, inanibus subterfugiis aliis responsionem declinare velit, & comminationi, & sententiae de restituendis expensis locus erit, licet ne quidem trium hebdomadarum spatium citatio comprehendenterit. Quia citationis virtutum purgatur per comparitionem spontaneam, & omissa exceptio angusti termini, tanquam ius partis, a Iudice ex officio suppleri haud solet. *Dn. Rivin. ad O. P. S. t. 10. Enunc. 3.* Ceterum, si ex duabus correis unus comparuerit, alter emanserit, sententia comminatoria, qua simul satisdatio actori iuncta est, illi soli prodest, qui praesens in iudicio eandem exegit. Litis contestatio enim per sententiam imposita exceptiones dilatorias, inter easque etiam hanc satisdationis excludit; cumque tali casu nulla individuitas causae appareat, unius vigilantia reliquis prodeesse nequit.

CONCLVSIONE XXXI.

Terminus Saxonicus pro conscientia per probationes exoneranda non a die rei iudicatae, sed a tempore factae obligationis currit.

Evidem regulariter fatale probationis ab eo tempore incipit, quo sententia, per quam illa iniuncta est, in rem iudicatam transit; sed circa illam probationis speciem, quae pro exoneranda conscientia suscipitur, aliud cautum est in *O. P. S. t. 19. §. 1.*; quod nempe

1120.

nempe is, qui probationibus conscientiam suam defendere constituit, intra octiduum a tempore rei iudicatae desuper se declarare, & deinceps Hernacher intra terminum Saxonum articulos probatorios iudici offerre debeat. Quae vox Hernacher utique non simpliciter seriem processus innuit, sed terminum a quo probationis definit; praesertim cum alias, si a tempore rei iudicatae terminus computaretur, integrum spatium Saxonum habiturus non esset, qui hoc probandi genere uti velit. Quem in modum ex memorata Ord. Proc. explicanda est *Conflit. El. 12.* Part. 1. Eandemque sententiam Collegium Vitembergense identidem, ac sigillatim M. Jun. 1686, in causa Johann Lüdeckers contra Andreen Nohledern zu Großen Salza secutum est. vid. B. Zieg. ad O. P. S. c. 1. verb. Auch hernach. Nec alia interpretatio Supremo Appellationum Iudicio ac Scabinis Lipsiensibus placet, teste Dn. Ritter, ad O. P. S. t. 19. Ennuc. 6. Curia tamen Provincialis, quae Lipsiae est, termini huius computationem ab ultimo demum momento octidui exordiendam esse, aliquando censuit, commemorante Eod. c. l.

CONCLVSIO XXXII.

Quoties testes in termino productionis uel emanent, uel testimonium dicere detrectant, toties productus in sequenti termino cum

interrogatoriis admittendus est, licet

in priori haud comparuerit.

Contrarium tuetur B. Svendendörf. Proc. Fibig. p.
422. Cuius tamen sententiae quo minus adstipule-

G 3 inur,

mur, facit, quod poena haec desertionis nullibi expressa sancita sit. Quod enim attinet ad dispositio nem Ord. Proc. t. 20. §. 1. ubi dicitur, quod adversarius in termino productionis cum interrogatoriis paratus esse debeat, id cum effectu intelligendum, si nempe examen testium peragatur, quod ni fiat, terminus productionis fuisse haud intelligitur. Nec obstat, quod probatio pro deserta habeatur, si producens in termino productionis emaneat, licet nec testes comparuerint. Poena enim haec desertionis nulla lege constituta est, sed solo fori uso sustinetur. Quae observantia stricte capienda, nec ultra producentis, qui terminum extraxit, ac principaliter productionem facere debuit, personam extendenda est. Atque hanc sententiam Collegia Vitembergensia in causis decidendis tenent. Eandemque apud Scabinos Lipsienses receptam esse, memorat Dn. Berg. El. Dis. Por. t. 20. Obs. 2. N. 3. p. 654. Dn. Rivin. ad O. P. S. t. 20. Enunc. 48. ubi simul testatur, in eandem Fac. Lips. quoque A. 1701. concessisse.

CONCLVSIONE XXXIII.

Cautio de lite prosequenda actori iniungi potest, licet prior terminus spatium Saxonicum complexus haud sit.

In foro Saxonico si actor in termino non compareat, reus ab instantia absolvitur, actori autem refusio expensarum iniungitur ab eo tractu Iudicij, qui per absolutionem annullatur, computandarum, cum praestatione cautionis de lite prosequenda, quae a possesso.

1121

sessionato per nudam promissionem fieri potest. *Dn. Rivin. ad O.P.S. t. 10. Enunc. 4.* Formulam cautionis vide apud Nicol. *Proc. p. 1. c. 33. n. 8. Berlich. p. 3. Dec. 333. O. P. S. t. 10. pr.* Licet vero actori spatium Saxonicum haud concessum fuerit, si tamen in termino emanserit, memoratam cautionem praestare tenetur. Neque enim actor de angustia termini iure queritur, qui eundem impetravit, & reum citari fecit. Quo loco aliqui minus recte exigunt, terminum actori notificatum esse, quippe quod in impetrante nunquam necessarium est; qui, si non uigilauerit, suæ culpæ ac negligentiæ hoc imputare debet. Vbi illud obiter noto, formulam, reum tali casu ab instantia absolvendi usi fori propemodum exoleuisse; in Collegiis certe Vitembergensibus non amplius observari. Nec sine ratione. Nam instantia proprie non incipit, nisi lite contestata. Vnde, si actor primo statim termino emanserit, reus a citatione magis, quam ab instantia, absolvitur. Quae posterior longe pinguior est, quam illa prior. *Petr. Frider. Proc. lib. 20. c. 20. n. 16. seq.* Vnde in dubio in Processu ulteriore absolutionem potius a citatione, quam ab instantia, intelligendam esse, recte monet *B. Zieg. ad O. P. S. t. 10. verb. ab instantia absolvit.* cum fieri possit, ut multo labore ac sumtu iudicium fundatum, & in dilatoriis anxie antehac disceptatum sit; quod simul perire, iniquum fuerit. Pereunt autem omnia retro acta, si quis ab instantia proprie sic dicta absolvatur. Ita Domini M. Dec. 1705. Aliter Scabinis Lipsiensibus videri, eosdemque cautionem de lite prosequenda omittere, si actori spatium Saxonicum haud fuit concessum, memorat *Dn. Rivin. c. l. Enunc. 3.*

CON-

CONCLVSIO XXXIV.

Probatio exceptionis spelii intra 15. dies etiam Jure Communi facienda, sed non praecise absoluenda est.

Terminus hic non solum Iure Sax. Elect. definitus est; *O. P. S. c. t. ii.* sed iam tum Iure Communi obtinet. *c. l. d. Restit. Spoliat. in b. Aug. Barbo. ad d. cap. n. 14.* Sed utrum intra hoc tempus tota probatio perfici ac plene absolvvi debeat, Iure communi dubium est. Affirmat *Reinb. Rosa ad Moller. P. I. C. 6. n. 8.* Negat *Jac. Scultes. Obs. 28. n. 13.* cuius sententia verior est; cum de eo, quod 15. dierum spatio, ad finem probatio adduci debeat, in memorato Capitulo nihil expresse cautum sit; in dubio autem, & lege silente, ampliandi potius, quam coarctandi sint probationis termini. Eandemque Elector Saxo comprobavit in *O. P. S. c. t.* Quocirca satis est, si intra dictum terminum articuli probatoriales offerantur. Nuda vero oblatio rotulorum, qui super examine testium sine praevia citatione partis adversae confecti sunt, ad hanc probationem, quippe quae ordinaria est, haud sufficiunt. Vnde etiam productio interrogatoria exhibere, *cit. loc.* expresse permittitur. Ubi simul illud ad praecidendas litium ambages cautum est, ut reprobatio, si qua actor contra exceptionem spolii uti velit, intra eundem cum probatione terminum, scil. 15. dierum fuscipiatur, ac sententia sine praecedenti partium disputatione, quae alias ac regulariter super probatione institui solet, feratur. *Add. B. Zieg. annos. ad O. P. S. c. t. Verb. Ohne fernere. Cum autem exce-*

1122

exceptionis spolii probatae effectus sit, ut ad libellum respondere, aut in causa iam copta ulterius progressi non teneatur, nisi plenarie, non solum ratione ipsius rei, sed etiam damnorum & expensarum restitutus fuerit. Vnde tali casu reus post probatam hanc exceptionem, latamque desuper sententiam inepte petit, ut actor ui rei iudicatae ipsi restitutionem faciat; quippe quae non ad exceptionem, sed actionem spolii referenda est. Prae iudicia Scabinorum Lipsiensium, quae hoc argumentum per omnia illustrant, collegit Dn. Riuin. ad O.P.S. & Enunc. 48. seqq.

CONCLVSIO XXXV.

Quoties replica non est pars libelli, actor super articulis elisiuis post litem contentam iuramentum recte deferit.

In arbitrio actoris est, utrum replicam libello statim inserere, an uero eandem tamdiu, donec exceptiones a reo obiectae fuerint, differre uelit. Sed plurimum interest ratione modi probandi. Nam, si replica pars libelli sit, iuramentum super eadem post guarandam praestitam, aut item contentam, deferri nequit. Secus est, si actor replicam in libello omitat, sed articulos tamen elisiuos formet, tunc enim integrum eidem est adhuc super iisdem iusuarandum deferre. Sententia enim, per quam probatio actori iniuncta est, ad contenta libelli a reo negata pertinet, adeoque ad replicam, quae a libello plane diversa atque distincta est, trahi nequit. Quae sententia cum in supremo Appellationum Senatu,

H

tum

tum in Collegiis Vitembergensibus hodie recepta est.
Aliter iudicant Lipsienses, qui iuramenti delationem
super articulis probatorialibus, elisauis licet, indefi-
nite excludunt. Vid, *Dn. Rinin. ad O. P. S. t. 20. E.*
nunc. 117.

CONCLVSIONE XXXVI.

Actor, qui post delatum sibi a reo super ex-
ceptionibus iuramentum conscientiam pro-
bationibus defendit, articulos super re-
plica non recte format.

Probatio pro exoneranda conscientia in locum
delati iurisiurandi succedit, ac eius declinandi causa
suscipi solet. Ex quo consequitur, idem utriusque
objectione esse, circa quod uersatur, neque articulos
probatoriales super alia re, quam de qua iurandum
fuerat, formandos esse. Vnde sicuti reus eo casu,
quo conscientiam suam aduersus iuramentum super
fundamento actionis sibi delatum defendit, exce-
ptiones suas incongrue immiscet; ita etiam actor,
cum delatio iuramenti super exceptionibus a reo fa-
cta est, conscientiam per probations non aliter tue-
ri potest, quam si factum in illis comprehensum eli-
dat; cum quo replicationes eius utique nihil com-
mune habent; quippe quae ueritatem factorum,
quibus reus innititur, ac unde suas exceptiones eli-
cit, supponunt. Quod ni ita esset, aduersarius haud
exiguum damnum incurreret, cui hac ratione via
reprobationis contra replicam actoris, nec non facul-
tas interrogatoria dandi paecluderetur. *Dn. Berg.*
Ei.


El. Dis. For. t. 19. Obs. 2. Cuius generis exemplum
 Collegio Vitembergensi, cum alias, tum sigillatim
 M. Oct. 1706. in causa Gottfried Nicolaus Ulrichen / con-
 tra Mariam Lenzschen eiusque maritum Andreas Lenzen-
 schen / cui lis denunciata fuerat, ad requisitionem Se-
 natus Zittauiensis oblatum est; ubi permutatione
 bonorum utrinque facta, cum alter alteri ex lege
 permutationis cauponam tradidisset, eius uxor Re-
 medio *Can. Redintegranda caus. 3. q. 1.* usa in posseſſo-
 rio uictoriā reportauerat. Alter, instituto peti-
 torio, item simul marito denuncianit; hic exceptio-
 nem doli obiecit, quod noctu inter pocula ad con-
 ventionem illam de permutandis praediis ab auctore
 dolo inductus fuisset, ac desuper illi iusurandum de-
 tulit; qui, suscepta probatione pro exoneranda con-
 scientia, articulos complures direxerat ad replicam ra-
 tihabitionis altero die secutae; quos tamen omnes,
 ceu impertinentes, laudatum Collegium reiecit, &
 quamvis illos testes affirmassent, nihil secius pro-
 nunciavit: Dass litis denunciant sein Gewissen mit
 Beweis zur Nothdurft nicht vertreten / derowegen er den
 ihm zu erkandten Eyd nach vorhergehenden litis denun-
 ciaten Eyd vor Gefahrde nochmahls abzuschwe-
 ren schuldig. B. N. W.

Exel-

Excellentissimo Celeberrimoque
Viro
IOANNI MEYERO,
Profess. Ratisbonensium Publico
S. D.

PRAESES.

Cum propter singulares uirtutes ac merita Tua,
quorum apud omnes peruagatissima fama est,
amicitiam Tuam saepe multumque expetie-
rim, tum mirifice laetatus sum occasione a Te ipso li-
teris ultro admota; quibus filii Tui rationes, quas
studiorum causa apud nos iniit, mihi commendasti.
Quae res satis prospere, ut puto, cessit. Nam &
in rebus pulchris operam ponit, & ego in spem ue-
nio fore, ut haud lubricis gradibus nixus in curricu-
lo studiorum feliciter procedat, & patriae aptum bo-
numque ciuem reddat, fructusque cumulatissimos
Inclyrae Ratisbonae referat, quae fuit semper, erit
que in posterum summorum sapientissimorumque
Procerum sedes ac domicilium. Igitur habeo, quam-
obrem Tibi, Vir Celeberrime, gratuler, Tibique me-
ritis graui insigne sincerumque gaudium ex moribus
filii spondeam, quem, dato semel uirtuti loco, mai-
ora deinceps spatia, praesertim si, ut spero, dictis me-
is audiens porro fuerit, facturum esse confido. Qua-
ratione Tuum bonorumque omnium fauorem
accendet, &, quam de se excitauit, spem recte agendo
confirmabit. Vale. Dab. Viembregeae quarto
Idus Sept. M D C C VII.



Wittenberg, Diss., 1707

Wittenberg, Diss., 1707



vDn8

Farbkarte #13

B.I.G.
Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

Centimetres

Inches

8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19



DISPUTATIO JURIDICA,
qua
**SELECTAS
CONCLUSIONES
FORENSES**

PRÆSIDE
DN. JO. BALTHAS. WERNHERO,
D. Prof. Publ. & p.t. Academiae
Pro-Rector,

Ad D. Septembr. M D C C V I L.
H. L. Q. C.

Publice ventilandas proponet
JOANNES MEYER,
Ratisbonensis.



VITEMBERGAE SAXONVM,
Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typogr.

37.

1094

16

7c